

Werk

Titel: Tobiae Pfanneri, De Catechumenis antiquae Ecclesiae Liber
Autor: Pfanner, Tobias
Verlag: Boetius; Litteris Mullerianis
Ort: Gothae; Francofurti; Vinariae
Jahr: 1688
Kollektion: VD17-Mainstream
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN740847600
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN740847600>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=740847600>
LOG Id: LOG_0010
LOG Titel: Caput IV. De Catechumenorum in suscipiendo Baptismo ...
LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions. Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
 Georg-August-Universität Göttingen
 Platz der Göttinger Sieben 1
 37073 Göttingen
 Germany
 Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

CAPUT IV.

De

*Catechumenorum in susci-
piendo Baptismo tergiversationibus
& excusationibus, & Doctorum Ec-
clesiæ ad eas diluendas argu-
mentis.*

I.

Reperti tamen haud pauci, qui
petendo Baptismo, si doctri-
nam, & definita Catechumenatus
spatia spectes, satis maturi, nomen
dare, aut citati etiam ad nomen re-
spondere tergiversabantur. Nec
tamen horum omnium eadem cau-
sa aut ratio. *Alii enim, ut has in*
classes eos Gregorius Nazianzenus *d. O. ar.*
distribuit, pecudum omnino, vel fe- *40. p.*
rarum morem imitantur, prout vel a- *652. seq.*
mentia, vel animi pravitate laborant:
qui scilicet ad cetera mala hoc quo-
que adjunxerunt, ut ne Baptismum
ipsum -- magnopere veneratione, ea-
que

I 3

que animo sint, ut si quidem detur, eum non gravatim accipiant: si non detur, susque deque ferant. Alii Donum quidem agnosunt, atque honore prosequuntur, verum moras producunt, partim ob ignaviam, partim ob in explebilem peccandi libidinem.

II. Et verò, si non laudabili, bono saltem animo quosdam mysterio isto justo longius aliquando sese abstinuisse, exemplis ostenditur hominum pietatis laude insignium. Constantinus M. religionis Christianæ ferventissimus salutari lavacro non ante initiatus, quàm supremæ necessitatis vis morbi admoneret. Gorgoniam sororem suam haud diu ante obitum demum undis lustralibus ablutam Gregorius Nazianzenus testatur, foeminam, non Christianis tantum parentibus, & quod majus est, Patre Episcopo natam, sed & ipsam omni

*Euseb.
de vit.
Const.
Lib. IV.
c. 61.*

*Greg.
Nazianzen.
Orat. XI.
n. 24. in
laud.
soror.*

omni pietatis ac virtutum, quæ
 Christianam decere possent, genere
 adeò instructam, ut prædicante eo-
 dem, tota vita nihil illi aliud esset,
 quàm purgatio & perfectio
 (καὶ θαρσιν καὶ τελείωσις;) atque
 adeo non Gratia, sed Sigilli tan-
 tum loco Baptismus ei fuisse videri
 posset. Idque de se ipso idem fa-
 tetur Gregorius, narrans, ut susce-
 pta, cum Alexandriæ aliquandiu
 degisset, per mare Parthenium in
 Græciam navigatione, gravi exor-
 ta tempestate, & ingenti inde o-
 mnium ob imminens exitium me-
 tu, cunctisque adeò communem
 mortem horrentibus, ipse altiori
 timore perculsus animæ metuerit,
 eo quippe in periculo constitutus,
 ut non initiatus è vita discederet,
 salutaris aquæ jacturam inter letha-
 les undas subiturus. Pariter etiam
 Ambrosius baptismo non ante ex-
 piatus, quàm ad Episcopatum ra-

Omt.
XIX. in
laud.
Patr.
n. 34.

Sorr. H. peretur, præsul fermè ante Chri-
E. IV. 25. stianorum, quàm civis aut socius;
Theodo- felicior principe suo Valentiniano,
rit. IV. quem suprema fati violentiâ cor-
6. reptum, eadem cupientem, atque
Ambr. Ambrosii adventum præstolantem,
I. offic. B. Baptismatis solemnîa peracturi, an-
Ambr. tequam is adesset, vita destituit;
I. m. III referente id ipso Ambrosio, & de-
de obi- functi sorores, ob id ipsum maximè
su Va- mœstas, solante.
terit. p.
 III. Et quidem, ut horum ple-
7. R. 126 risque, aut omnibus forte, illo-
Spist. 32. rumque similibus ea moræ ratio
ad Va- fuerit, quo paratos magis tantoque
lentin. munere dignos sese aliquando si-
p. 149 sterent, ita alii animo secum repu-
Epist. 34 tantes, rem dissociabilem esse, Chri-
ad Theo- stianismum atque licentiam, atque
dof. imbecillitatis suæ improbitatisve
 conscii, minorique morum fiducia,
 satius habebant, saluberrimæ a-
 quæ usum eo temporis differre,
 quo cunctis sordibus expurgati,
 alias

alias contrahere ne si vellent quidem, possent; unâ fideiâ totius vitæ parietem egregio, si res procederet, compendio, dealbaturi. Edocti quippe, nihil aliud esse, (ut *Omt. 40*
hæc Gregorii Nazianzeni verbis, *num. 8.*
non forsan omnis erroris integris, *p. 61.*
efferamus,) vim & facultatem baptismi, quàm purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum, ideòque maximo in metu omnes esse debere, ne ad pristina vitia revoluti conventionem illam violasse, atq; fœdera cum ipso Deo contracta, perfregisse comperirentur; graviori casu, si, postquam semel velut de sepulchro veteris hominis eruperant, eòdem, unde emerferant, recidissent, novis vulneribus veteres cicatrices majori rupturi periculo, & quas jam fonte salutari lavassent animas, novis sordibus fœdius conspurcaturi; nullam post istam aliam superesse regenerationem.

neque aliud iterum lapsis quam a
Pœnitentiâ, eâque pro temporum
illorum disciplina satis acerbâ, ad-
eoque asperiori isto atque laborio-
siori lacrymarum, ut eleganter
Gregorius, baptismo remedium,
faciliori multo venia, si in veterem

Can. 45. (ut Patrum Eliberini Concilii ver-
bis utar) hominem delinquissent;

in Act. duplo quippe aut quadruplo (uti
Apost. id Chrysostomus observat,) ma-
Homil. jori æstimari, quæ quis post acce-
ptam gratiam, spretâ illa, patraret,

1.

tantoque etiam gravius suppli-
cium, nî acerbis isto Pœnitentiæ
remedio avertas, laturus; miserius
esse, perdidisse gratiam, quam o-
mnino non recepisse; Denique
adquirendæ salutis brevius faci-
liusque iter fore, in exitu vitæ ad
salutem contendere; hæc inquam
secum animis cogitantes, melius
se rebus suis consulere putabant,
si tam ancipiti fœdere, & damni
forte

forte amplius quàm emolumenti
 allaturo, tantisper abstinere, do-
 nec eò processissent, ut minori id
 periculo certiorique utilitate ini-
 rent, nihil post illud perpetraturi,
 quod antiquam nativitatem oleret.
 Et probare quidem atque svadere
 hanc cunctandi sollertiam videtur
 Tertullianus, qui post relatas Ba-
 ptismi in Eunuchò Æthiope atque
 Paulo Apostolo celerati rationes,
 in ceteris pro cuiusque personæ
 conditione ac dispositione cuncta-
 tionem baptismi utiliore fore
 monens, ideoque innuptis maxi-
 me procrastinandum censens, in
 quibus tentatio præparata sit tam
 virginibus per maturitatem, quàm
 viduis per vagationem, donec aut
 nubant, aut continentiam corrobe-
 rentur; ita sermonem, claudit: *si*
qui pondus intelligant baptismi, ma-
gis timebunt consecutionem quàm
dilationem. At verò uti ad divi-

de bapt.
c. 18.

in Luc.
Lib. VII
c. 15.

nam quam baptismo haurimus grā-
tiam piē accipiendam, non vanis
improbisve ex causis differendam
spernendamve ista à Tertulliano
dicta esse, vel ex eo apparet, quod
idem paulò ante animadvertit, o-
mnes cunctationis & tergiversatio-
nis erga pœnitentiam vitium præ-
sumptione intinctionis baptismi
scilicet, importari, ita notat atq; ar-
guit hunc de sua salute malè con-
sultorū hominum prætextum Am-
brosi⁹, *ad mortem, uti dicebant, sibi
lavacri gratiam vel pœnitentiam re-
servantium.* Indicat eundē Grego-
rius Nazianzenus, post memorata
cunctationis istius pericula, & ex
adverso festinationis securitatē fru-
ctumque, eorum, quæ moram ho-
minibus istis injicerent, gnarus,
Ἀλλὰ φοβῆ, μὴ διαφθείρης τὸ χά-
ρισμα, καὶ διὰ τὴν ἀναβάλλη τὴν
καὶ θάρσιν, ὡς δούτερον ἐκ ἔχων.
At

*At metuis ne Gratiam corrumpas,
 ac proinde purgationi meram pro-
 ducis, utpote nullam alteram jam ul-
 tra habens. Atque hanc matri suæ,
 cetera sanctissimæ, & cui nulla an-
 tiquior salute filii cura, causam
 fuisse, fatetur Augustinus, cur ipso
 puero adhuc stomachi dolore us-
 que ad mortis periculum oppresso,
 ideoque baptismo jam jam initian-
 do, versa mox in melius valetudi-
 ne, etiam ipsa illa mundatio dilata
 fuerit, quasi (ita ipse de se, id qui-
 dem improbens Augustinus,) ne-
 cesse esset adhuc sordidari, si vive-
 rem, quia scilicet post lavacrum il-
 lud major & periculosior in sordibus
 delictorum reatus foret. Atque post,
 causam istam iterum suggillans:
 Vellem scire -- quo consilio dilatas-
 sum, ne baptizarer, utrum bono meo
 mihi quasi laxata sint lora peccandi,
 annon laxata sint? Eaque occasio-
 ne ad alios, pari errore detentos*

August.

Tom. I.

Confess.

Lib. I.

c. 11.

Luther.

Ber-

mahn.

Jum 34.

cramet.

Tom. 5.

Jen.

Germ.

fol. 184.

de- b.

delapsus, Unde, pergit, etiam nunc
 de aliis atque aliis sonat undique
 auribus nostris; Sine illum faciat quod
 vult, nondum enim baptizatus est:
 Et tamen in salute corporis non dici-
 mus, sine, vulneretur amplius, non-
 dum enim sanatus est. Atque in-
 de ad seipsum regressus, Quare
 ergo, concludit, melius, ut citò sana-
 rer, Et id ageretur mecum meorum
 meaque diligentia, ut recepta salus
 animæ meæ tutæ esset tutela -- ? Me-
 lius verò. Ceterum istam, quam
 diximus sollicitudinem ii maximè
 obtendebant, quibus in foro atque
 publicis negotiis versantibus ma-
 jor peccandi necessitas incumbere
 videbatur, ipso hominum usu at-
 que consortio eò sæpè quo non lu-
 beret, abripi & velut contactu
 quodam infici solitis. Tangit hoc
 quoque ulcus Gregorius Ἀλλὰ,
 inquit, ἐν μέσῳ σπέρῃ καὶ μο-
 λύνῃ

Gregor.

Naz. d.

Omt. n.

19. p.

6+9.

λύνῃ πῖς δημοσίοις, καὶ δεῖν ἐῖσοι
 δαπανηθήσεται τὸ φιλάνθρωπον.
*At in media hominum frequentia
 versaris, ac publicarum rerum cura
 & administratione inquinaris: at-
 que idcirco metuis, ne misericordia,
 quam per baptismum consecutus es,
 consumatur.*

IV. Alii ad alias levioresque
 causas confugiebant. Quidam de
 ea re interpellati commodiora Ba-
 ptismi ineundi tempora sese oppe-
 riri causabantur. Notat hos atque
 objurgat mutuatis aliqua ex parte
 à Salomone verbis Gregorius,
 ἕως ποτὲ, dicendo, ὁ κνηρὲ κατακει-
 σαι -- ποτὲ ᾧ ἐξ ὕπνου ἀναστήσῃ, τὸ
 καὶ τὸ σκήπη καὶ προφασίζῃ ^{πμ. 22.}
 φάσεις ἐν ἀμαρτίαις. ^{ρ. 6, 4.} μένω δὲ
 φῶτε. τὸ πάσχα μοι πρῶτον
 τὴν πεντεκοστήν ἐκδέχομαι. χριστῶ
 συμφωτισθῆναι βέλπιον, χριστῶ συν-
 ἀνα-

ἀναστῆναι καὶ τὴν ἀναστάσιμον ἡμέ-
 ραν, τὸ πνεῦμα & π μῆ σαι τὴν
 Ἰπιδάμειν. Quousque tandem pi-
 ger jacebis? quando consurges è
 somno? Hoc & illud causaris, atque
 excusas excusationes in peccatis?
 Luminum diem ex pacto: Paschatis
 festum pluris facio; Pentecosten ex-
 pectabo. Cum Christo baptizari
 prestat; cum Christo in resurrectione
 die ad vitam redire: Spiritus ad-
 ventum honorare. Solenniora ista
 Baptismo conferendo accipiendos-
 que tempora sese preestolari præ-
 texebant, quando ista advenisset,
 novas morarum causas allaturi.
 Quos etiam arguens Basiliius M.
 Anno superiore hunc diem preestola-
 bare: nunc iterum futurum aspectas?
 Alii ambitioso delectu quærebant,
 aut quærere simulabant, cuius manu
 quoque loco id Donum acciperent.
 Quos rursus Gregorius perstrin-
 gens, μὴ εἰπῆς, suadet, ἐπίσκοπον &

βαπτισάτω με, καὶ ἔτ' ὁ μητροπο- nu. 15.
 λίτης καὶ ἱεροσολυμίτης - καὶ ἔτ' ὁ p. 656.
 τῶν εὐγεγερότων. δεινὸν γὰρ εἶτω βα-
 πτιστῇ τὸ εὐγονές μὲ καὶ ὑβριθῆσεται.
 ἢ περὶ ἐπὶ ὁ μὲν, ἀλλὰ καὶ ἔτ' ὁ
 τῶν ἀγαθῶν, καὶ ἔτ' ὁ τῶν ἐγκρα-
 τῶν καὶ ἀγγελικῶν τὴν πολιτείαν.
 δεινὸν γάρ, εἰ ἐν καιρῷ καθάρσεως
 ῥυποθῆσομαι. *Ne dicas, baptizes*
me Episcopus, atque is Metropolita-
nus aut Hierosolymitanus -- isque
etiam claro & nobili genere ortus,
(grave enim fuerit, nobilitati mea
ob ejus, qui baptizat, obscuritatem,
labem ac dedecus inferri,) aut si pres-
byteri, saltem qui celebs sit, qui con-
rinentia laude atque angelica viven-
di ratione floreant. Grave enim fue-
rit, si in purgationis tempore inficiar,
atque commaculer. Quin eam et-
iam excusationem quidam offere-
bant, sibi in promptu non esse, qui-
bus ad Baptismum cum decore at-
que

que splendore suscipiendum opus
esset; ac si sumptu talia atque appa-
ratu constarent; aut etiam tan-
quam in scena fabulā acturi, specta-
tores opperiebantur. Παρέσω μοι,
(ita vanum hoc hominum genus
Gregorius loquentes introducit,)
μήτηρ, παρέσω μοι πατήρ, ἀδελφεῖ,
γονή, τέκνα, Φίλοι, πᾶν ὅτι μοι τί-
μιον, καὶ τὴν καὶ αὐτὰ σωθήσομαι, νῦν
ἢ ἔπω μοι καιρὸς λαμπρυνθῆναι.
Adsit mihi mater, adsit mihi pater,
fratres, uxor, liberi, amici, atque
omnes quos charos habeo, & tūc
salutem accipiam; nunc autem non-
dum mihi splendidum fieri vacat.
Atque idem futilitatem causæ ulte-
rius traducens: αἰσχρὸν εἰπεῖν,
πᾶς δέ μοι τὸ καρποφορεῖν οἷον
βαπτίσματα; πᾶς ἢ ἐμφορεῖται
ἐσθλὴς ἢ λαμπρυνθῆσομαι; πᾶς ἢ
τὰ πρὸς δεξίωσιν τῶν ἐμῶν βαπτί-
σων;

ἔστιν, ἡ δὲ καὶ τῶ τοῖς εὐδαιμονίῳ.

Turpe est dicere, Ubi est munus, quod propter Baptismum offeram? Ubi splendida vestis, in qua exsplendescam? Ubi ea, quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur? ut in his quoque rebus nominis celebritatem consequar. Tales aliasque huiusmodi captiones atque argutias in perniciem suam committentes, atque annum de anno, mensem de mense & diem de die, ut Basilus loquitur, trahentes remedia, ut mala, differebant. Injuriam, non beneficium accepturos crederes. Adeò agrè lenteq̃ procedebant quando ad salutem, eundum esset.

Basil.
M. Exhort. ad Bapt. fol. 119.
G.

V. Et verò, utut varia obtinentes, una plerosq; causa retinebat, vitæ nimirum licentius agendæ consuetudo, injucundam sibi eam arbitrati, si ejurare tam bonam copiam cogerentur. Hinc isti,

isti, similesque prae textus, indignitatem consilii qualicumque verborum specie velantium. Profiteri enim flagitiosae vitae votum, id verò hominis fuerat, omnem cum pudore famae curam adspersantis, indignique omnino, qui vel inter extremos Catechumenorum locum obtineret. Detraxit istam personato huic hominum generi larvam

fol. 118^o

E.

Basilius, post cumulata Baptismi elogia, *Tantis itaque, subjungens, ac talibus bonis miser potiore ducis voluptatem? Novi enim tuam cunctationem atq; pigritiam, quamquam rebus dissimulare contendis. Ipsa enim facta, etsi taces, contra clamant. Mitte, inquis, supersede: Interim carne, etatisque flore abutar, in luto voluptatum porcorum more volutabor, manus sanguine fœdabo, alienum auferam, dolosè ambulabo, pejerabo, mentiar. Tunc denique cum satur ero, malis destitutam:*

stam: baptismum suscipiam. Id. d. fol.
 que non aliter, utcunque isti ne- *128.H.*
 gent, se habere paulò post amplius
 demonstrans: *Cunctatio namque,*
 inquit, *ad baptismum pœnitentiam-*
que nihil aliud clamare videtur,
quàm in me ante regnet peccatum,
deinde aliquando regnet etiam do-
minus. Assint mihi membra injusti-
tie, & iniquitatis arma, deinde assu-
nam aliquando etiam arma justitiæ
Deo. &c. Idem agit Gregorius d. Orat.
Nazianzenus, ita ut velut apertè id nu. 20.
proficientes in scenam producat. p. 650.

Ἀλλὰ τί μοι πλεόν, φησὶ, πρὸ κα-
 παρθεύοντε Δὲ τὸ βαπτίσματι,
 καὶ τὸ περὶ τὸν τὸ ζῆν ἐμαυτῶ Δὲ
 τὸ τὰ χυρὸς Ἰπικλείσαντι, ἐκὸν ἐφεῖ-
 ναι ταῖς ἡδοναῖς, καὶ τὴν καυτῶ τυ-
 χεῖν τῆς χάριτος; Verùm, dicet
 quispiam, quid mihi ex ea re accesse-
 rit, si per baptismum præoccupatus
 fuero, atque omnes vitæ sordiditates
 mihi

mibi ipsi ob huiusmodi celeritatem
præclusero, cum voluptatibus inte-
rim indulgere liceat, atque ita de-
mum gratiam assequi? Ad quod
mox ipse: Ἀλλ' ἤζας ἡμᾶς
πραγμάτων, ὅς τις ποτὶ εἰ ὁ ταῦ-
τα λεγων, μόγῃς τῆς ἀναβωλῆς ἐξε-
πῶν τὸ ἀπόρρητον. *Negotio me li-
berasti, quisquis tandem es, qui hac
oratione uteris, dum procrastinatio-
nis istius arcanum agrè tandem ex-
tulisti. &c.* Ipsi quippe, ut scitè

Augast.
d. Temp.
Serm.
92.

Augustinus, de se pronunciant, —
qui ideò volunt tardius baptizari, ut
flagitia & scelera multa committant.

Et tanta aliquorum erat protervia,
ut segnitiam suam Christi exemplo
tueri auderent. Significat id Gre-

d. Orat.
nu. 28.
p. 658.

gorius, Ἀλλὰ, inquiens, χεῖρος
Φησὶ δεξιὸν ταῦτα ἔτης βαπτίζεται,
καὶ ταῦτα θεὸς ὢν, καὶ σὺ κε-
λεύεις Ἰησοῦ πεῦθειν τὸ βάπτισμα;
At dices, Christus tricesimo anno
bapti-

baptizatur, idque cum Deus esset.
 tu me Baptismum urgere jubes? &c.
 Et tardiores faciebat, quæ alacres
 magis reddere debuerat, Dei be-
 nignitas, cui facile satis fieri sibi
 persuasum habebant, si qualem-
 cunque cupiditatem accipiendi
 aliquando hujus muneris animo
 retinerent; Satis scilicet, uti de
 poenitentia pari divinæ benignita-
 tis opinione dilata Tertullianus, *Tertull.*
Deum habere, si corde & animo *de Pœ-*
susciptur, licet actu minus fiat. *nit. c. 5.* Ita
 Gregorius denuo, τίδαί; ἔχῃ *num. 25.*
 φιλεῖν θρωπὸν, Φησι, τὸ θεῖον, καὶ *p. 652.*
 γνωστικὸν γὰρ ἐννοιῶν, δοκιμάζει τὸ
 τὴν ἔφεσιν, καὶ ἀντὶ βαπτισματὸς
 ποιεῖται τὴν ὁρμὴν τῶ βαπτισματὸς.
 Quid autem, inquires, nonne beni-
 gnus & facilis est Deus, atque cogi-
 tationes humanas perspectas habet,
 animi nostri cupiditates explorat,
 Baptismique cupiditatem pro bapti-
 smo

Imo ducit? sic nempe homines voluptatibus suis immerſi nil niſi bonitatem clementiamque Dei cogitabant, ad ſpem tantum divinæ miſericordiæ devoluti, quando-
cunque nimirum aut deſiderium inceſſerit, aut perpulerit neceſſitas, ad eam receptum habituri; juſtitia-
ejuſ atque ſeveritatis ſeu immemores ſeu incurioſi; ex voto ſibi numen ſingentes; certi ſcilicet, uti ſcitè Tertullianus, indubitata ve-
niæ delictorum, medium tempus furantes interim, & commeatum ſibi potius facturi delinquendi,
quàm non delinquenti eruditionem atque induſtriâmi, quaſi, uti
de pe-
nit. c. 6.
rurſum Tertullianus, Deus neceſſe habeat præſtare etiam indignis, quod ſpoſpondit, liberalitatem
ejuſ ſervitutem facientes.

VI. Atque ingens hinc Eccleſiæ Antifitum cura, magnus labor, creditos ſuæ fidei homines eò per-
du-

ducere, ut celerando potius (quantum negotii magnitudo ferret,) res suas curatum, quam cunctando perditum irent, neve salutis suæ moram ipsi producerent, atque rem ad extremum rejicerent casum, nulla si secius cadat, ratione reparandum, ne denique ritu ferarum prædam modò, quam expetant, intuentes, in perniciem, quæ ante prædam posita, vecordes incurrerent. Non ingratum Lectori, neque ab instituto nostro alienum putavimus, aliqua, paucissima quidem ex illis afferre, specimen exhibitura, quibus argumentis tam periculofum torporem Catechumenis suis excutere isti fategerint, etiam adversus eos valitura, qui poenitentiam differendò suam ipsi sanitatem salutemque morantur.

VII. In primis detentas futili metu, aut longa voluptatum asvetudini, velut glebæ suæ adfixas mentes proposita rei dignitate, usu,

atque præstantiâ ad altiora, melio-
remque sui curam attollere labo-
rabant. Atque hinc egregia ista

Gregor. apud Patres Sacramenti hujus elo-
Naz. O gia. Ita nimirum Gregorio Na-
rat. XI. zianzeno, *Splendor animarum,*
in laud vitæ in melius mutatio, conscientia
foror. n. ad Deum interrogatio, infirmitatis
24. p. nostræ adjumentum, carnis abjectio,
188. A.

Spiritus affectatio, Verbi participa-
tio, figmenti correctio, peccati diluvi-
um, lucis communicatio, tenebrarum
oppressio, vehiculum ad Deum, pe-
regrinatio cum Christo, fidei admi-
niculum, mentis perfectio, cælestis
regni clavis, vitæ commutatio, ser-
vitutis depulsio, vinculorum solutio,
compositionis in meliorem statum
conversio, denique τῶν τῶ Θεῷ δώ-
ρων τὸ κάλλιστον καὶ μεγαλοπρεπέ-
στατον, πάντες ἄλλὰ τῶν παρ' ἡμῶν
Φωτισμῶν ὃν ἀγιώτερον. Omnium
Dei beneficiorum præclarissimum &
præstantissimum, & quod omnes
alias

alias illuminationes sanctitate superet. Donum, explicante eodem, ^{num. 40}
 quia iis, qui nihil prius contulerunt, d. p.
 datum; Gratia, quia etiam debentibus; Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur, Unctio, quia sacer & regius, Illuminatio, quia splendor & claritas, Indumentum, quia ignominiae nostrae velamen, Lavacrum, quia abluit, Sigillum, quia conservatio est, ac dominationis significatio.

Basilio M. αἰχμαλώτους λύτρον, ^{Bas. M.}
 ὀφλημάτων ἄφεσις, γίνεσθαι αἰ- ^{Extort.}
 μαρτίας, παλιγγενεσία ψυχῆς, ἐν ^{ad Bapt.}
 δυμα φωτεινῇ, σφραγὶς ἀνεπεχεί- ^{fol. 190.}
 ρητῇ, ὄχημα πρὸς ἔρανόν, βασι-
 λείας πρὸξενον, ἡορσεσίας χάρισμα.
 Captivorum & aris alieni remissio, ^{fol. 118.}
 peccati mors, animae regeneratio, ^{E.}
 amictus splendens, character inde-
 prensibilis, caeli iter, regni caelestis
 conciliatio, adoptionis gratia; Cy- ^{Cyriil.}
 rillo Captivitatis iidem liberatio, Proca-
 peccatorum venia, animae regenera- ^{tach.}
 tio, ^{subfin.}

Schol.
Gr. in
Hierar.
Eccles.
p. 86.
seq.

tio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, curruſ ad cælum, delitiæ Paradisi, regni cælestis conciliatio, charisma adoptionis filiorum. Græco denique in Hierarchiam Ecclesiasticam Scholiasτα. δὲ χη καὶ ὁδοποιήσις τῆς πρὸς Θεὸν οἰκειώσεως καὶ ἐπερχομένης κληρονομίας. Principium atque via communionis cum Deo atque ad cælestem hereditatem, ὅθεν μορφῶται ὁ ἔσωθεν αὐθροπῶν πρὸς κρείττονα ἔξιν καὶ ἐπερχομένην, καὶ σωτήριον, καὶ τὴν κατὰ τὸν Θεὸν λόγων καὶ πρᾶγματων ὀπιτήδελον. Ex quo interior homo ad meliorem habitudinem, salutaremque capacitatem divinorum sermonum atque rerum formatur. Et si quæ alia erant encomia, quibus tanti muneris magnitudinem utilitatemque hominibus ad emolumenta sua ignavis inculcabant, Et verò hoc maximè signo ab Infide-

de.

delibus eos distingui, observabant, qui Dei partium sint, hostium loco, aut saltem non in Civium censu habendi, nisi isto commilitium approbent. Eleganter hunc in sensum Basilius: Tesseram ^{d. Ho-} Du- ^{mil. p.}ces subsemilitantibus dant, ut amici ^{189.}facilius invicem senoscentes exhortentur, & si cum hostibus commiscantur, eò facilius discerni ac separari possint. Quod si forte commilitonum separatio fiat, nemote quarum, nostrarum an adversarii partium sis, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem præ te feras, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini: nisi characterem in te agnoscat angelus, quomodo pro te pugnet, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo inquam, dices, Dei sum, signa non ostendens? An ignoras, quemadmodum signatas domos in Ægypto exterminator præterit, in non signatis verò primogenita peremit?

mit? *Thesaurus non obfignatus furibus facile patebit. Ovis item absque nota insidiis protinus est obnoxia.* Frustra spe regni cœlestis sibi blandiri, nisi post primos sui natales, antiqua sorde fœdos, aqua & spiritu Christo renascerentur, atque connatas econtractasque morum improbitate maculas, atque aeternæ vitæ spurcitiem ipsamq; mortem uno lavacro diluerent. Basilii typum baptismi in populo Hebraïco in nube & mari baptizato ostendens explicansque, εἰσηλθὲν ἔκειντο, inter alia, εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας, Διὰ τὸ βάπτισμα. σὺ ᾧ πῶς ἐπαιέλθης εἰς τὸν ὡφειδαιον, μὴ σφραγιδεὶς τῷ βαπτίσματι. ἢ ἐκ οἰδας, ὅτι φλογὶν ῥομφαία τέτακται φυλάσσειν τὴν ὁδὸν τῆς ἐξύλης τοῖς μὴ ἀπίστοις, Φεραὶ καὶ φλογίζουσι. τοῖς ᾧ πεπι-

στου

στενόςιν, Ὡς ὅτι καὶ ἡμερον
 ἑπιλάμπουσα; καὶ σρέφεται αὐτήν
 ἐποίησεν ὁ θεωπότης, ὅταν μὲν γὰρ
 ἰδὼν πισόν, τὰ νῶτα δίδωσιν. ὅταν
 ὅ τινὰ τῶν ἀσφραγίστων, κατὰ
 τόμα πρὸς παλῶ. *Ille per bap-
 tismum in terram promissionis est in-
 gressus. Tu autem quomodo in pa-
 radisum hoc carens penetrabis?*
*Nonne vides, quod ligni viam gla-
 dius igneus custodit, infidelibus qui-
 dem formidandus, credentibus verò
 propitius ac amœnè coruscans? Et
 versatilem illum fecit Dominus,
 quando Fidelem conspexerit, ensis
 terga ostendit. Hoc verò caracte-
 re sacro carentibus os aciemque in-
 tentat. Paucis, hoc sacramento
 vivis securitatem, mortuis vitam,
 utrisque felicitatem præstari, non
 vanis laudum argumentis prædi-
 cabant. Gregorius Nazianzenus,
 post enarrata hominis à baptismo,*

destituti pericula, ex adverso o-
 stenfurus, quàm suaviter in utram-
 que velut aurem dormiant, qui
 huic munimento incumbant, *At si,*
 subjicit, *per baptismum te ipsum*
præmunieris, ac pulcherrimo & fir-
missimo auxilio tibi in futurum ca-
veres, animum scilicet & corpus un-
ctione & spiritu consignans, quem-
admodum olim Israël nocturno illo
cruore, qui primigenos tuebatur,
quid tibi accidet? & quod tibi præ-
sidium comparatum erit? -- Hoc tibi
& vivo maximam ad securitatem
momentum afferet, (pecus enim fi-
gnata non facile insidiis appetitur:
quæ autem minimè signata est, à fu-
ribus facile capipotes) & vitâ per-
functo commodum quoddam tan-
quam funebre munus futurum est,
veste splendidius, auro præstantius,
tumulo magnificentius, infructuosis
libaminibus religiosius, maturorum
fructuum primitiis tempestivius (ob-
 latio-

lationes mortuorum nomine factas denotare videtur Gregorius) iisque omnibus rebus quas mortui mortuis largiuntur, consuetudinem prolege observantes. Omnia tibi pereant, omnia diripiantur, pecunia, pradia, throni, splendores, ceteraque, quæ vagæ atque incertæ hujus vitæ sunt: tu verò secunda & tranquillam mentem diem ultimum claudes, nullo ex omnibus, quæ Dei beneficio tibi concessa sunt, auxilio destitutus.

VIII. Verum, cum plerique moralium eo ingenio nati sint, ut mali potius metu trahi, quam boni amore atque desiderio sese duci patiantur, ignari aut incuriosi discriminis sui; quantacunque beatitudine haud adeò ægrè carituri, tantis austerioris vitæ molestiis emercandis, modò suppliciorum periculum abforet, hoc potissimum ariete pervicaces in damna sua

animos Ecclesiæ Præsules quatiē-
bant; mortis periculā ingerendo,
à quibus nunquam nos securos
mortalitatis nostræ conditio finat,
tam variā scilicet pereuntiū formā,
& diversa imagine mortium; quas
à se alienas putare nequeat homo,
eidem forti casuumq; varietati ob-

p. 643. noxius. Ita Gregorius noster:
Βαπτισθῶμεν σήμερον, ἵνα μὴ αὐριον
βιασθῶμεν. καὶ μὴ ἀναβαλλόμεθα
τὴν εὐεργεσίαν ὡς ἀδικίαν, μηδὲ ἀνα-
μείναμεν πλεῖον γενέσθαι κακοί, ἵνα
πλεῖον συγχωρηθῶμεν, μηδὲ γενά-
μεθα χριστοκαπηλοὶ καὶ χρεῖς ἐμπροσ-
θεν, καὶ φορτισθῶμεν πλεον, ἢ δυνά-
μεθα φέρειν, ἵνα μὴ αὐτάνδρῳ τῇ
οὐκ βαπτισθῶμεν, καὶ τὸ χάρισμα
καυαγήσωμεν, ἀνθ' ὧ τὸ πλεῖον
ἠλπίσαμεν, τὸ πᾶν ἀπολέσαντες.
Baptizemur hodie, ne cras vi aliqua
cogamur. *Ne beneficium tanquam*

Injuriam differamus, nec expectemus, ut plura peccata congeramus, quò plura nobis condonentur, nec Christo cauponum & negotiatorum ritu abutamur, nec graviori sarcinà oneremur, quàm vires nostræ ferre queant, ne unà cum navi demergamur, ac Gratiam naufragio amittamus, dumque plura spe atque animo concipimus, omnia perdamus. Nam, ut Idem aliquantu n inferius, quòd p. 646.

hodiernum diem semper prateriens, A.

crastinum observes, paulatim differendo, non animadvertis -- quanto in periculo versaris? quot quamque inopinati rerum casus? Quot vel bellum oppresserit, vel terra motus obruerit, vel mare exceperit, vel bellua rapuerit, vel morbus extinxerit, vel mica panis transversè per fauces currens -- vel immodica crapula, vel ventus in præceps agens, vel equus sessorem secum abripiens, vel pharmacum de industria ad insidias com-

paratum, fortasse etiam pro salutari
 pestiferum inventum, vel inhumana-
 nus iudex, vel inexorabilis carnifex,
 vel denique quidpiam eorum, quæ
 celerem mortem, atque omni ope &
 auxilio validiorem efficiunt. Im-
 prudentiam scilicet esse, tanto hu-
 manarum rerum discrimine vitam
 sibi polliceri, atque anceps maxi-
 mique periculi consilium, ab in-
 certa temporis mora tantæ rei ad
 ipsam animæ salutem pertinentis u-
 sum suspendere, felicitatisque æter-
 næ spem in occasionem mortis dif-
 ferre, præmaturo forsan exitu ipso-
 que in voluptatum hiatu oppressu-
 ræ oscitantes, atque corporis funere
 animam eâdem prostraturæ ruinâ.
 Veniet, denuo suos monet Grego-
 rius, repente vita finis in die, quam
 non expectas, & in hom, quam
 ignoras: actum adveniet, quasi ma-
 lus viator, gratiæ inopiâ, atq; in tan-
 tis bonitatis opibus fame laborabis. —

8. 17. &
 seq. p.
 654.

Mi-

Miserum est, cum nudine effluerint, tum demum negotiationem querere. Miserum est, cum manna praterierit, tum cibum appetere. Miserum est, seruum consilium capere, ac tum damni sensu affici, cum nulla jam ratione acceptum incommodum sarciri potest, hoc est, postquam hinc excesserimus, acerbèque conclusa fuerint, quæ quisque in hac vita gessit, atque & scelerati homines supplicio, & qui animos purgarint, splendore affecti fuerint. In eundem modum Basiliius:

Νῦν πάλιν ἀναμένεις τὸν Ὀπίοντα. d. Hom.
 ὅρα μὴ εὐρεθῇς μακροτέρως τῆς non
 ζωῆς τὰς ὑποσχέσεις ποιῶμεν. longè à
princ.
 ἔκ οὐδας τί περὶ ταῦτα ἴσῃς. μὴ
 ἐπαγγέλλων τὰ, ἀήσῃς. Vide ne
 longiorem tibi vitam pollicendo spe
 decidas: nescis quid crastina sit ad-
 vectura: ne tibi quæ non tua sunt,
 in tua potes esse potestate. Etenim,

fol 190. ut idem iterum, τίς σοι τήν προ-
 θεσμίαντ' ἡρώς ὤρισε. τίς ἔτιωσ
 ἀξίοντις. ὅτι σοι τῶν μελλόντων
 ἐγγυητής. ἔχ' ὅρα νήπια δὲ παλαιο-
 μενα; τὰς ἐν ἡλικίᾳ ἀπαγομένους;
 ἔκ' ἔχει μίαν προθεσμίαν ὅτι.

fol. 1:8. *Quis tibi vita terminum fixit? Quis
 1. senectutis metam terminavit? Quis
 apud te tam fide dignus futurorum
 sponsor? Non vides saepe numero in-
 fantes ab ubere raptos; non etate flo-
 ridos mori vides? Nullum certum
 terminum habet hac vita. Atque in
 fine Homiliæ miserum desperatum-
 que hominis statum in supremis
 demum de Baptismo cogitantis,
 gravissimè describens: Ne igitur,
 amicè cohortatur, Ἐγὼ tu frater oleum
 luminis nutrimentum negligens, in
 diem, quam non expectas, quando-
 que incidas, -- Ἐξ morbo prevalente
 in animi angustia constitutus, à me-
 dicis domesticisque deseraris. Quan-
 do,*

do inquam, extrema erit anxietas, febrisque ardore viscera adurentur, dolebis miser, dolebis corde penitior, nec habebis qui condoleat: sed tantum tacito inexplicatoque murmure mussitabis, apud te dicens: quam contempta est mea stultitia? Quis baptismum dabit? Quis stupidum ac letali somno oppressum admonebit? Propinqui? At hi mœrebunt? Alieni? At hi despicient. Amici? at hi talia memorando te turbare verebuntur. Scilicet & medicus decipiet: nec tu vitam omnino desperabis, cum naturâ maximè omnibus desideretur. Nox forte continget, nec adjuvantium facultas, non item qui baptizet, aderit -- Mors irruet, te rapientes statim advolabunt. Quis liberabit? Deus tibi despectus? At, inquis, me tunc exaudiet. Tu verò nunc non ipsum audis? Prescriptum tempus aliquod addet. Scilicet, quòd dato bene

bene es usus? Ne miser decipiaris. Nemo te inanibus seducat verbis. Aderit tibi repentinum exitium, ac interitus similis procellæ te evertet. Veniet angelus tristis, per vim tuam rapiens tot peccatis irretitam animam; teque demum magnopere cruciatum, & absque voce querentem, præcluso lamentis vocis organo, ad nigra tartara deducet, &c.

IX. Omissa igitur cupiditate, etspe, fallacibus auctoribus, præsentia & certiora sequerentur, neque salutem fortunæ permitterent, ipsique onerarent pericula sua, pretium obstultitiam laturo, si sua ipsi remorari commoda perstitissent. Utendum gratiæ oportunitate, dum vitâ fruerentur, culpamque emendare divina permittat benignitas, atq; injiciendas occasionem manus, irreparabili fortè cum damno aufugitura, ni tempestivè retineas, *αὐτοῖς μὲν*, svadet Gregorius

*d. Orat.
n. 14. p.
645.*

gorius, ὅτε καιρὸς, συγκόμιζε, καὶ
 λὺε τὰς ἀποθήκας, ὅτε τὰτα και-
 ρὺς. καὶ φύττει κατ' ὥρας, καὶ
 κειρέτω σοι βότρυς ὄριμος, καὶ
 ἀνάγες παρρησίας ἔαρι, καὶ ἀνέλκε
 τὴν ναὸν πάλιν ὑεχομένους χειμῶ-
 νος, καὶ τῆς θαλάσσης ἀγχοιμένης.
Sere, cum ferendi tempus fuerit, &
fruges comporta, & horrea solve,
cum tempus hoc postularit: & tem-
pestivè planta, & uvam maturam
detonde, & Veris temperie fretus na-
vemè portu solve, rursusque oriente
hyeme, marique faviente fac eam in
portum subducas. Ne igitur pro-
pagarent ultra ruinam, tantiq; mo-
menti rem in casum ancipitis e-
ventus committerent; neve torpe-
rent diutius, & quam servare que-
ant, animam, polluendam amplius
perdendamque relinquerent; uno
ictu, si quid deterius eveniat, per-
petuò perituram, navem fracturi,
 cum

cùm in vado navigare liceret. Ma-
ture providendum, antequam casu
occuperis, quo frustra quæras, quæ
jam oblata accipere cuncteris. Et
verò quàm inconsultum, tanti
discriminis opperiri eventum, eaq;
momenta adspectare, quibus non
alia magis incommoda suscipien-
di negotii, è quo æterna animæ sa-
nus. 12. lus suspenditur. *Quid febrim,*
p. 644. *rogitat noster Gregorius, quæ te*
beneficio afficiat, expectas, ac non
Deum? Quid tempus ac non ratio-
nem? Quid insidiosum amicum, ac
non salutare desiderium? Quid vim
potius, quàm potestatem? Quid re-
rum angustiam potius, quàm liber-
tatem? Quid opus est, ut de exitu
tuo ab alio certior fias, ac non ipse
potius de eo, tanquam jam presenti,
cogitas? Quid medicamenta que-
ris, nihil profutura? Quid criticum
sudorem, cùm fortasse lethalis adsit?
Tibi ipsi prius quàm urgeat necessitas,
me-

medere: tui ipsius miserere, qui verus & germanus infirmitatis es medicus: tibi ipsi revera salutare medicamentum adhibe. Dum secundo vento navigas, naufragium time: & tutior à naufragio eris, adiutorem ac socium tibi timorem asciscens. Magna tum, ac sera nimium, atque inutilis similisque virginum dolori poenitentia, quæ oleo destitutæ, ideoque post tempus adventantes, irritis clamoribus suspiriisque januas pulsavere, pari mœrorè sociarum felicitatem ac damna suametitæ, documentum daturæ, quid esset desidibus extimescendum, clausâ, uti Tertullianus loquitur, ignoscentiæ januâ, atque intinctionis serâ obstructâ, ingressum frustra tentaturis; nullo jam amplius ad poenitendum regressu; frustra gratiam quæsituris, quam cum oblata occupare licuisset, adspernari maluerant. Excitat eo exemplo suo-

subfin. suorum segnitiam Basilius, *Vide,*
d. Hom. adhortans, ne te tuorum consilio-
rum pigeat, cum te sera nihilque pro-
futura pœnitentia ceperit. Disce
prudentiam, virginum exemplo.
Illa oleum in vasis non habentes,
quando sponso ire obviam oportuit,
tunc necessaria deficere senserunt.
Ideò fatuas eas Evangelium vocat
quoniam dum tempus ferendi erat
olei, id prodigendo comedendoque
absumentes, extra fores sunt ejeçtæ,
ac à sponsi pulchritudine, prohibita.
Post quæ conditionem, exitumque
hominis miseram animam inter,
vitæ desperationem, mortis instan-
tem horrorem, vanamque Bapti-
smi cupiditatem damnata jam spe
salutis exhalantis, recensens, &
quibus tunc animi motibus istum
agitatum iri, probabile sit, subji-
ciens, *Heu,* dicere pergit, quantum
te ipsum afflictabis, quantum præ-
torum pœnitentiâ consiliorum su-
piras;

*ſpirabis, quando juſtorum tot illuſtri-
bus donis ornatorum videris clarita-
tem, parte altera peccatorum tristi-
tiam in profundis tenebris ſpectave-
ris, qualia tunc corde volutabis?
Memiſerum dices, cur peccatorum
graviffimam ſarcinam, cum licuerit
ac tam facile fuerit, non abjeci? O
quam durum malorum acervum me-
cum traho? Me miſerum, quod ha-
ſce peccatorum ſordes non ablui,
quod peccatis ita ſum commaculatus.
Iſte jam in bonis cœleſtibus delitia-
tur. O prava mea conſilia: ob bre-
vem peccati voluptatem æternum
crucier? Ob carnis modicas delicias,
æterno tradar igni? O juſtum Dei
judicium: vocatus eram, nec audie-
bam: docebar, & non attendebam.
Obteſtabantur me, & ego ridebam.
Hæc & his ſimilia flendo dices, hos
edes ſupremo tempore queſtus, ſi an-
te baptiſmum hinc diſcedis. Egre-
giè compescendæ tam vanæ incerti-
tem.*

Chrys. temporis spei, Chrysostomus, re-
in Epist. centibus notisque exemplis segni-
ad Heb. tiam ceterorum exitaturus: *Quan-*
Homil. *do enim quis propterea peccat, ut*
13. *sanctum baptismum in novissima sua*
expiratione suscipiat, fortassis non
adipiscitur. Et credite mihi, non ter-
rens vos dico, quod dicturus sum.
Multos novi, qui hoc passi sunt, qui
spe baptismatis multa peccabant,
circa diem autem mortis discesserunt
vacui. Deus enim propter hoc ba-
pisma tribuit, ut abluat peccata,
non ut addat.

X. Præterea ostendebant, quàm
 inepti essent atque imprudentes
 utilitatem suarum æstimatores, qui
 rebus inanibus tanto studio inten-
 ti, multo majora atque omne in
 ævum perennatura tam vilia ne-
 glectaque haberent; vitam, opes,
 honores, atque cuncta in baptismo
 habituri, si ritè acciperent, con-
 servarentque. Ita rursus Grego-
 rius:

τῆς αἰσῆς ἐστὶν ἄτοπον, χρήματα
 μὲν παραρπάζειν, ὑγείαν δὲ ἀνα-
 βάλλεσθαι. Καὶ σώματα μὲν προ-
 καθερεῖν, ψυχῆς δὲ καθάρσιν τα-
 μιεύεσθαι. Καὶ τῆς μὲν κάτω δουλείας
 ἐλευθερίαν ζητεῖν, τῆς ἀνω δὲ μὴ
 ἐφίεσθαι. Καὶ ὅπως μὲν οἰκήσεις
 μεγαλοπρεπῶς, ἢ ἀμφοτέρω, πᾶσαν
 ποιῶν ἀσυχρίαν. ὅπως δὲ αὐτὸς πλεί-
 στ' ἄξιόβουτος, μηδὲ φροντίζειν. &c.
*Absurdum eim fuerit, cum pecunias
 avidè præripias, sanitatem in longius
 differre atque extrahere: cum cor-
 pus præpurges, animæ purgationem
 in aliud tempus reservare; cum ex
 hac terrena servitute in libertatem
 vindicari studeas, supernæ libertatis
 cupiditate minimè tangi: cum stu-
 dium & diligentiam omnem adhi-
 beas, ut magnificas ædes incolas, aut
 splendidas vestes geras, nihil curæ su-
 scipere, ut ipse summo pretio dignus
 sis.*

fol. 117. *sis.* Prolixius aliquantum, nequē
 L. M. minus venustè in eundem sensum
 amicissimus Gregorio Basilius,
 istam suis vecordiam exprobrans,
Si enim, dicit, aurum ecclesia di-
stribueret, non profectò diceret,
cras mitte, cras dabis: verum tuam
sedulus portionem velociter peteres,
differrì autem agrè ferres. Quo-
niam verò non materiae alicujus fu-
cum, sed animæ purgationem tibi rex
munificus pollicetur, moras excusa-
tionesque neētis, impedimenta cau-
sasque affers. Debebas ad hoc do-
num accurrere. O rem admiran-
dam: Renovaris, (Baptismo scili-
cet, modò subeatur,) nec consti-
ris: Resingeris, nec contereris: Cu-
raris, nec dolorem sentis, & tamen
hanc gratiam non expendis. Si enim
hominum servus esses, ac libertas o-
mnibus proponeretur, nonne ad con-
stitutum diem instructus venires, Ad-
vocatos pretio conductos & judices
 sol-

solicitares, ut omni conatu libertatem reciperes. Quin alapam quoque, extremam fervorum plagam, pro liberatione omnis in futurum infamiae ac probri libenter subires. Postquam verò te servum, non hominum, sed peccati, ad libertatem præco vocat, ut te à servitute solvat, ac angelorum consortem civemque faciat: præterea Dei filium per gratiam factum, cœlestium heredem bonorum constituat; nondum esse tempus hæc dona excipiendi causaris? &c.

Postquæ, brevibus quidem, indi-

fol. 118.
A. B.

cans, quàm nulla animæ digna, compensatio, quàm nihil regno coelorum comparandum, interjectis paucis quibusdam, istam, quam diximus, imprudentiam aliquodam, nec minus apto simili declaraturus, Enimverò, dicit, si publicis tributis obnoxius esses, debitorum autem remissio reis circumquaque nunciaretur, deinde quisquam hoc

te publico munere privare conaretur, doleres, clamaresque, communis gratiæ parte per injuriam privari. Postquam verò non solum præteritorum remissio, sed etiam futurorum dona palam proponuntur, non audis, sed ipse te lēdis, quantum nec inimici forte lēderent. Consultumne tibi ac utiliter cogitatum existimas, si quis jus immunitatis tuum ac hujusmodi remissionem tibi abstulerit, ære quoque alieno te premi patiatur? maxime cum scias, quòd mille talentorum fortè debitor remissionis munus facile consequeris, &c.

XI. Et verò, si absque periculo foret, in mortis usque casum baptismum protraxisse, ita tamen rationem ineundam esse, monstrabant, ne ultima baptismi mors illicò occupet, & dandum gratiæ divinæ spatium, quo in fructus maturescat, tanta radice dignos; si non avertendo supplicio, augendæ tamen beatitu-

titudini, cujus quamvis supremæ
 suos tamen modo quodam gradus
 esse, non ambigimus. γενέσθω π,
 svadet Gregorius, μέσον τῆς χάρι- num. 12
 τος, καὶ τῆς ἀναλύσεως, ἵνα μὴ ἐξα- p. 644.
 λειφθῇ τὰ πονηρὰ ζεάματα μόνον,
 ἀλλὰ καὶ μετεξεσθῇ τὰ βελτίονα,
 ἵνα μὴ τὸ χάρισμα μόνον ἔχῃς,
 ἀλλὰ καὶ τὴν ἀντίδοσιν. ἵνα μὴ τὸ
 πῦρ φύγῃς μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς δόξης
 κληρονομήσῃς, ἣν τὸ ἐπεργάσασθαι τῷ
 θεύρῳ χαρίζεται. *Inter Gratiā
 ac mortem temporis aliquid interce-
 dat: ut non solum prava littera del-
 eantur, verum etiam earum loco me-
 liores inscribantur, nec solum gra-
 tiam habeas, verum etiam primum
 consequaris, nec ignis tantum suppli-
 cium effugias, verum etiam glorie
 hereditatem percipias, quam nego-
 tiatio Dono (ita sæpius Baptismum
 Gregorius nominat,) adjuncta con-
 ciliat. Ostendendum videlicet,*

esse, quid valeat collata divinitus gratia, dum is animi corporisque vigor, ut refragari possint; suamque sibi rem habere iubendam improbitatem, antequam ipsa divor-
sol. 118. tat, aut lassatis viribus langueat: ad destituenda vitia valetudinis
f. potius aut ipsius forsan mortis necessitate, quàm suo ingenio aut animi pietate traductis. Revocat id in mentem non sine exprobra-
 tione Catechumeno suo Basilus;

*Quondo, inquit, facultas etas-
 que viget, te libidinibus tradis.
 Quando verò membra languent, tunc
 Deo potissimum offerre studes: cum
 scilicet ob ingruentem & invalidam
 senectam his uti non amplius licet:
 quo maximè tempore pudicitia seu
 temperantia vocari non potest, sed
 lasciviendi potius & luxuriandi ad-
 empta facultas. Mortuus omnino mi-
 nimè coronatur. Nec justus aliquis
 dicitur, cui malefacere non licet.*

Dum

Dum itaque potestas adest, dum corpus valet, dum ratio viget, peccato dominare. Virtus enim hac est vitatio mali, studium boni. Vacare autem à malo tantum per se, nec laude nec vituperatione dignum. Si etate prohibitus à peccato desistis, debilitati gratias agendum. Optione, non necessitate bonos laudamus. Incongruum certè atque indignum fore, toties citatum ad nomen, exeunte demum bello, respondere, ipso demum viæ exitu rectum iter incipere, militiæ adscribi, quando nullum amplius pugnandi tempus, victoriæ denique ac triumphû in partem venire, qui prælium decretaisset; atque ridiculum, extremo jam & præcipiti in occasum die, atque inumbrante vespere, sanctioris vitæ lucem ordiri velle; atque probiorem inchoare, postquam desperassent, ultra vivere posse. Elegantissimè hunc in sensum.

Chrys. Chrysoftomus, postquam indicas-
in act. set, quàm ineptè is in Baptismo
Apost. Christo consepultus dicatur, qui
Nomil. mox abiturus nullum sepultura
Ip. 457. isti monumentum statuere queat,
 οὐ γὰρ subjungit, ταυτὸν ποιεῖς, οἷον
 ἂν εἴ τις ἀπογράφου βέλαι-
 σρατιώτης, τὸ πλέμει λυεῖται μέλ-
 λοντ. ἢ ἀθλητῆς δοποδύου, τῇ
 θεάτρει λοιπὸν ἀναστάντ. καὶ
 γὰρ ὅσα Διὰ τῶν λαμβάνεις, ἔχ-
 ῖναι εὐθὺς δοποηδήσης, ἀλλ' ἵνα
 λαβὼν καὶ τῇ ἐναντίᾳ τρέποιον εἴ-
 ης. Tu verò perinde facis, ac si quis
 cum postulet ascribi militiae, quum
 jam bellum est solvendum: aut si
 athletarum vestes exuat, quum jam
 surgere cœperint spectatores, ἐκ thea-
 tro discessuri. Si quidem in hoc ar-
 masumis, non ut protinus aufugias,
 sed ut acceptis illis ex adversario tro-
subsn. pheum referas. Quippe, ut idem
d. Hom. iterum, Deus Διὰ τῶν ἑδωκε τὸ
 βαπ-

βάπτισμα, ἕχ' ἵνα λαβόντες ἀπέλ-
 θώμεν, ἀλλ' ἵνα Ἰππίζήσασιν κατ'
 πρὸς Ἰπποδείξωμεθα. In hoc dedit
 Baptismum, non ut eo accepto mox
 decedamus, sed ut superviventes
 baptismi fructus proferamus, &c.
 Neque minus graviter idem, in ex-
 plicanda Fidelium pro Catechu-
 menis supplicatione occupatus.
 cum ad ea verba exponendo per-
 venisset, quibus mentem Deo affla-
 tam, sobriam cogitationem, & vi-
 tam cum virtute conjunctam, iis
 precabantur, accepta hinc non in-
 commodè occasione, Audite hac, *in 2. ad*
 mone, qui sub finem vite ad bapti- *Cor. 1.*
 smum venitis. Nos oramus, ut post *Hamil.*
 baptismum etiam vitam honestam *2. Mo-*
 habeatis: tu contra studes, nihilque *ral col.*
 non facis, ut hinc migres absque *698 seq.*
 bona vita. Quid autem refert, si
 justus fias, sed sola fide? At nos opta-
 mus, ut & ex benefactis habeas fidu-
 ciam, ut jugiter quæ Dei sunt cogi-

tes, quæ Dei sunt sentias, quæ Dei
sunt, mediteris: qui sobriam cogi-
tationem vitamque honestam non ad
unum duntaxat diem, neque ad
duos, neque ad tres, sed per univer-
sam ætatem totamque vitam postu-

lamus. *Tom. 3.* Nimis igitur delicatos istos
Serm. milites esse, sperantes putantesve,
de Marti- se posse (ut alia quidem in re ite-
rib. rum Chrysostomus,) sine pugna
quod vincere, sine certamine triumphare.
aut i- Qui etiam commodissima simili-
mit. aut tudine rem istam declarans: Si enim
nō lau- nullus nostrum veteranum vult possi-
dandi dere servum, nec qui habet delectum
snt. exercitus, senes refert in numerum: --
multo magis regnans virtus mavult
adolescenciam quam senectutem, &
tanquam intactam virginem & nihil
proberi passam adolescenciam secum
jungit necessitudine, ut cujus vita pri-
mitias ambiat.

XII. Ceterum, quo cautiores
redderent homines salutis suæ ne-
gli-

gligentes, atque in perniciem tantum suam alacres, Diaboli fraudes retegebant explicabantque, id agentis, ut quos non baptismi veneratione, usu tamen atque fructu abstrahat, eâ artis solertiâ, saltem cunctatione intervertere, si odio ejus contemptu ve non possit. Casum igitur insidianti aperire, sibi que ipsis exitium offerre, qui svadenti moram inimico aures animosque advertant. Admonuit suos doli hujus Gregorius, *Non animadvertis, dicendo, te à pravo num. 14. illo deludi, ut illius consuetudo fert, p. 646. Da mihi præsens, inquit, futurum Deo: mihi juveniles annos, Deo seniles: mihi voluptates, Deo corpus effectum nullisque usibus aptum. Atque eadem pluribus exaggerans, O ingentes, exclamat, pravi p. 647. illius versutias? Verè ille caligo est, & lucem ementitur. Cum aperto Marte nihil proficit, insidias obscure*

tendit: & cum pravus sit, probum
tamen consultorem simulat, ut alter-
utro certè modo superior omnino di-
scedat, nec ulla ratione ipsius insidias
effugiamus. Id quod hic quoque
perspicuè molitur. Nam cum tibi in
animum inducere nequeat, ut Bapti-
smum palàm aperteque contemnas
ac pro nihilo ducas, per fectam cau-
tionem (ne nimirum baptismi gra-
tia futuro peccato corrumpatur,) te
eo mulctat: ut in eam fraudem
quam metuis, imprudens per metum
incidas, & dum times, ne Donum
corrumpas, ea ipsa de causa ab hoc
prorsus excidas. Et improba atque
infida nequissimi hostis consilia,
cum saluberrimis benignissimi Nu-
minis præceptis contendens Basi-
lius: Unus est, ait, prohibens, qui
nobis ad salutem obstruit viam, quem
omni studio ac prudentiâ vitare o-
portet. Ille, inquam, torporem ac
desperationem nobis injicit, ne ad
opus

fol. 119.

A.B.

*opus sanctum exfurgamus. Ille vana
spe corda nostra deludit. Ipsius ergo
cogitationes non ignoremus. Annon
hodie peccare, cras verò justè agere,
pietatem differre nos exhortatur?
Idcirco Dominus ejus occurrens insi-
diis: Hodie, inquit, si vocem me-
am audiveritis, nolite obdurare
corda vestra. Ille verò ait: Mihi
hodie, cras Deo. Dominus contra:
Hodie vocem meam audite. Nosce
obsecro, inimici dolos; ut omnino
statimque à Deo avertaris, consulere
non audet. Novit enim hoc grave
admodum Christianis. Verùm ar-
tibus insidiosis aggreditur. Serpens
est, & ad decipiendum argutus. In-
telligit enim, quemadmodum nos ho-
mines præsens libenter recipimus
tempus: omnisque actio humana in
præsens contendit atque spectat.
Quamobrem hodiernum tempus no-
bis fumatur astutè, & spem facit cra-
stini. Postquam crastinum venerit,*

rursus malus divisor sibi hodiernam
 crastinum verò domino dari petit.
 Sic continuo diem de die trahens, vo-
 luptate presenti & spe frugis, nostram
 subducit latenter vitam. Eo nem-
 pe animo callidissimus nequam,
 partem vitæ paciscitur, quo totam
 sibi vindicet; in omne ævum pro-
 rogaturus, quod in tempus sibi fla-
 gitari simulat; momenta quædam
 ætatis nostræ poscit, æternitatem
 in consilio habet. Et verò non
 meliori nobiscum fide agere, con-
 gruit hosti, cum quo perpetuum
 nobis atque sine fœdere bellum,
 nullæ nisi in fraudem noxiamque
 nostram induciæ, nulla Juris pa-
 cisve communio est; semper ad
 insidias in miseros mortales com-
 parandas intento, & tùm maximè,
 quando pacem simulat, arma exi-
 tiumque paranti.

XIII. Et verò cum plerique o-
 mnes divinam bonitatem in ma-
 te.

Chrys.
ad Po-
pul. An.
tioch.
Hom. 4.

teriem delinquendi continuandæ
 qua tam prolixè gaudebant, licen-
 tiæ traherent, Patres, ut perniciosæ
 spei obviam irent, svaviter sibi
 ipsis imponere advertebant, qui nil
 nisi Dei benignitatem, atque in hu-
 manum genus clementiam animo
 versantes, tuta sibi cuncta atque
 læta polliceantur, cui videlicet de-
 mulcendo vel sola accipiendi
 quandocunque cœlestis muneris
 voluntas sufficiat. Infregit hanc
 malè sperantium fiduciam Grego-
 rius noster Nazianzenus, qui post
 verba supra jam suo loco allata,
 quibus omnia apud Deum prona,
 sola scilicet ipsorum voluntate,
 contentum, istos sibi fingentes in-
 troduxerat, ἀνίγματι, reponit, *in fin. d.*
 λέγεις ὅμοιον, εἰ πεφωτισμένῳ *29.*
 ὅτι καὶ διὰ τὸ φιλόανθρωπον ὁ
 ἀφώτιστος, ἢ καὶ τῆς βασιλείας
 τῶν ἀρετῶν ἐντὸς ὁ ταύτης τυχεῖν

σωδάζων, δίχα τῷ πρᾶττειν τὰ τῆς
 βασιλείας. *Ænigmati simile quid-*
dam narras, si apud Deum propter
ipsius benignitatem, is pro illumi-
nato habetur, qui luminis expers est,
aut etiam intra regnum cælorum est,
qui eo frui expetit, cùm interim ea
minimè faciat, quæ ad cæleste re-
gnum iter aperiunt. Ejusque spei
futilitatem ulterius Idem exa-
 p. 653. gitans confutansque: Εἰ κρι-
 νεις Φόνε τὸν Φονικόν κ μὲν τῷ
 βέλειαι, καὶ δίχα τῷ Φόνε, βεβα-
 πίδω σοι καὶ ὁ ποθήσας τὸ βάπτι-
 σμα, δίχα τῷ βαπτίσματι. εἰ
 ἦ ἔκ ἐκεῖνο, πῶς τῷτο; συνειδὲν
 ἔκ ἔχω. *Si enim, qui animo tan-*
tum, non autem re ipsa cædem per-
petravit, cædis damnandum putas,
sit sane is quosque apud te pro bap-
tizato, qui Baptismum citra baptismi
susceptionem expetivit: sin autem
illud non admittis, quonam pacto
 hoc

hoc admittas, haud sane perspicio. Atque alio, commodiori quidem exemplo vanitatem ejus festivius ostensurus; Si ad vim Baptismi obtinendam, ipsius cupiditate teneri, satis esse censes, ac propterea de gloria contendis; tibi quoque ad gloriam gloriae cupiditas sufficiat. Quid enim tua interfuerit, eâ carere, modo eam habere concupiscas. Neque enim injurium, sterilem recte faciendi cupiditatem, qualicunque remunerandi voluntate pariri, & uti mutatis paululum flexisque ad rem praesentem Tertulliani verbis utamur, salva venia in Gehennam detrudi, qui salvo Dei metu, coelestisque gratiae desiderio peccaverant. Melius igitur rebus suis consulturos, si modum divinae benignitatis cogitantes, atque nimias ipsique Numini indecoras delinitate ipsius spes ex animis amoventes, oblatam occasionem in cau-

*Tertull.
de Pa-
nit. c. 5.*

cautionem verterent, cœlestiq; bonitate uterentur, dum sese utendam fruendamque præberet; ne fortè, eâ non satis reverenter habitâ, spe divinæ gratiæ perpetuam gratiam salutemque amitterent. Eum in sensum Chrysostomus, stultitiam hac in te suis obijciens: *Φιλάνθρωπος ὅτι φησὶν ὁ θεός, ἐκένταξέ το βάπτισμα. Φιλάνθρωπος γὰρ ἐστὶ καὶ βοηθεῖ. σὺ ὃ ἐνδο μὲν ἀν δεῖ ἀπαλλάσσει, ὃ προσέβλη τὴν Φιλάνθρωπίαν ταύτην, ἐνδο δ' ἀν θέλῃ ἀναβαλέσθαι, τότε αὐτῆς μέμνηται. καὶ τοι τότε καιρὸν ἂν ἔχοι ἡ Φιλάνθρωπία αὐτῇ, καὶ μάλλον ἀντὶ τῆς ὁπίσθεν ἡμέρας, ὅτ' ἀν καὶ τὰ παρ' ἑαυτῶν εἰσενέγκωμεν. Humanus, inquit, (is scilicet, qui expectare Baptismum, quàm accipere mavult,) est Deus. Igitur accipe baptismum. Humanus enim est, & opitulatur. Tu verò, ubi vi-*
gi-

Chrys.
d. Hom.
l. p. 455.

gilandum erat, non occupas istam
 humanitatem Dei: ubi verò tibi vi-
 sum fuerit differre, tum venit in-
 mentem illius humanitas. Atqui
 tunc erat tempus utendi hac huma-
 nitate, quam tum magis assequemur,
 quum eam nostra sponte amplecte-
 mur. Neque enim ea conditione
 offertur, ut quamdiu aliud velis,
 adspernari liceat; illico præsto fu-
 tura, quando uti lubuerit. Ut sine
 impietate huc accommodes istud
 Olympionis Plautini: --- Omnes Casin.
 mortales Deis sunt freti: sed tamen *Act. 2.*
 Vidi ego Dis fretos sæpè multos de- *Sc. 5.*
 cipi.

XIV. Et verò imprudenter istos
 agere, iidem animadvertabant, qui
 licentus peccaturi, peccati metu ba-
 ptismo abstinerent; dum mala in-
 crefcerent, remedia differentes;
 & cumulum (ut Constantini Imp. *l. 2. C.*
 verba in causa quidem civili pro- *de De-*
 lata hîc usurpemus,) debitorum. *bit. Ci-*
vit.
 nu.

d. Hom.
p. 457.

nutrientes, cum exsolvere possent.
Lepidum certè, imò stultū esse, solli-
citudine ista ita tangi, quo magis
delinquere pergant; minori plerun-
que postea cura, acceptā Baptismo
gratiam integritatemq; tueri. Hunc
ad modum rursus Chrysostomus,
ἀλλὰ δέδοικας μὴ ἁμαρτης; ταῦτα
μὲν τὸ βάπτισμα λέγε. τότε ἔχει
τὸν φόβον, ὥστε φυλάττει τὴν περρη-
σιαν, ἣν ἔλαβες. ἔχῃς ὥς τε μὴ λα-
βεῖν ὁσρέων τοιαύτων. νῦν δὲ περὶ
μὲν τὸ βάπτισμα εὐλαβήσῃς.
μὲν ὃ τὸ βάπτισμα, ῥάθυμον.
*Sed vereris, ne pecces. Istuc dicito
post baptismum, tunc istum habeto
metum, quo serves libertatem, quam
accepisti, non ut non accipias tantum
donum gratis oblatum. Nunc verò
contra ante baptismum cautus es ac
circumspectus, post baptismum socors
& incogitans. Melius facturos, si
timorem istum ad emendandā
vitæ*

vitz curam studiumque transfer-
rent. Ita iterum Chrysostomus, *Cbrj.*
Quin, inquit, potius istum timo- d *Herm.*
rem mutas in laborem ac studium, p. 456.
ut magnus sis ac suspiciendus. Utrum
melius est, metuere an laborare?
Id quod simili non inidoneo cla-
rius demonstraturus: Si quis te,
ait, collocasset ociosum in domo rui-
nosa, dicens, expecta donec in caput
tuum deciderit testudo jam putris,
fortassis enim cadet, fortassis non ca-
det; quod si id non placet, operare
ac tutissimum inhabita thalamum:
utrum magis eligeres? otiumne
illud cum timore, an laborem cum
securitate? Idque ad rem propo-
sitam applicans: Sic igitur, pergit,
Et nunc facito. Siquidem incertus
eventus futuri ea domus quaedam est
putris, semper ruinam minitans. At
industria illa, quanquam laborem
habet, tamen spondet securitatem.
Non certè in ceteris negotiis adeò
timi-

timidos esse, ut jacturae damnive metu votum atque fiduciam lucrandi abjiciant; nec ideò sperni bona, quòd amitti queant. Observat id atque non uno ex communi atque quotidiano rerum usu deprompto exemplo ostendit Basilus: *Quid enim sciscitans praestat, dic mihi, nos divites circa rerum possessarum curam sollicitati, seu nihil ab initio quod custodiamus habere? Nullus enim metu amittendi bona despiciet. Sic namque in rebus humanis, si malos cujuslibet rerum eventus computare aut considerare velimus, nihil omnino possideretur aut subsisteret. Nam & colonis metuendum est sterilitatis damnum: Mercatoribus naufragia, nuptiis viduitates, patribusque & educationibus incerti liberorum exitus formidandi: Attamen in primis alacriter opus aggredimur, spe bona nixi: rerum verò exitum Deo probè*
omnia

fol. 119.
F. G.

omnia disponenti committimus. Neque defutura, quibus partam gentiam tueantur, præsidia, modò servandæ ipsi animum viresque intendant. Suppeditat talia idem Basilius: *Thesaurus is, dices, servatu difficilis? opus est vigiliâ. Habes si velis adjutores, orationem noctis custodiam, jejunium domesticam custodem, psalmodiam animum recreantem. Has igitur suscipe comites. Ipsæ tibi per noctem in servandis his rebus pretiosis auxiliosint. Dandam quidem operam, ne quid detrimenti capiat Gratia Baptismi beneficio accepta; consultius tamen futurum, humani aliquid etiam post illam pati, quàm incerto metu certius amittendæ discrimen subire. Prestat quidem, uti scitè Gregorius, & bonum consequi, & purgationem tueri ac conservare: verùm si utrumque non datur, illud certè præstat, -- non nihil interdum*

Greg.
Naz. d.
Orat.
nu. 19.
p. 649.

for- 650.

sordium contraxisse, quàm omnino à gratia excidere: quemadmodum scilicet à patre & hero quandoque objurgari satius est, quàm domo ejici, & exiguo splendore perstringi, quàm prorsus obscurari. Periculosius certè fore, gratiam nunquam assequi, quàm impetratam aliquo lapsu minuere: faciliori venia, si, qui integram servare non potuerat, perdidit, quàm si acquirere, cum posset, neglexerit. Occurrit hac observatione perverso suorum metui Chrysostomus: Vereor, dicit, ne peccem. Verùm illud quod periculosius est, non vereris, ne cum tantis sarcinis abeas illuc. Nec enim idem est, gratiam in medio positam non assequi, & quum jam aggressus sis ad honesta tendere, frustrari. Denique mitiorem Deum expecturos, qui cursum quem ingressi, non undequaque tenuerint, quam qui vel pedem carceribus emittere de-

detre&tarint. Etenim, uti rursum Chrysostomus, qui posteaquam cu-
ram universam coniecit in Deum, p. 455.
post baptismum redierit in peccatum,
nimirum homo, si pœnituerit, Dei
benignitatem experietur. At qui ve-
luti deludens Dei bonitatem, excesse-
rit expers gratiæ, nullo pacto effugere
valebit vindictam. Absit igitur, ut p. 456.
hæc ejusdem verbis concludamus,
ut in tantam necessitatem incidamus,
ut post baptismum recidamus in pec-
catum. Attamen si quid acciderit
istiusmodi, ne sic quidem abjiciamus
spem. Benignus est erga genus mor-
tale Deus. &c,

XV. Ceterum, etsi forte non ad-
eò incommodè cum homine tali
ageretur, ut baptismi donum mors
anteveniret, parùm tamen præcla-
rè de initiatione istiusmodi se sen-
tire testificabantur veteris Ecclesiæ
Antistites, tam intempestivo tem-
poris articulo, turbatoque ægroti
Statu

Statu peracta, cum neque animus
jam neque corpus officium suum
facere possunt, quando is, uti Basi-
lius loquitur, nec salutaria verba
ipsa effari, nec integra audire,
non manus ad cœlum tendere, non
in pedes erigi, non genua adoran-
do flectere, non doceri, non securè
ac liberè confiteri, non cum Deo
convenire, non cum adversario de-
certare, & fortè nec scitè inter ini-
tiandum ministrum verba præeun-
tem subsequi queat; cum nempe,
ut hanc moribundi conditionem
Gregorius describit, lingua titu-
bans, atque instantis mortis frigo-
re penè confecta sacræ initiationis
pronunciandæ vim & facultatem
amisit; atque adeò corpus funebri
aquâ ablui potius, quam anima
salutari lavacro expiata videri pos-
sit. Absurdum equidem atq; invali-
dum civili lege haberi supremum
cujusque de rebus suis iudicium,

ab

ab homine sui non satis amplius
 compote profectum; de anima
 verò sua ejusque post obitum sorte
 ipsiusque Dei regno eum statuere,
 cui mentis rationisque usum mor-
 bus si non sustulerit, concusserit,
 saltem atque minuerit. Movet
 istam difficultatem Chrysostomus, *Chryf.*
 qui cum Mysteriorum tempus sa- *d. Hom.*
 nitatem mentium, & puritatem ani- *l. p. 456.*
 marum esse monuisset, exemplo *seq.*
 quodam è vulgari hominum usu
 petito id comprobaturus, Etenim,
 pergit, *dic mihi, si quis ad istum af-*
fectus modum nolit scribere testa-
mentum, si verò scripserit, etiam dat
in posterum ansam rescindendi testa-
menti, (siquidem propterea solent
his verbis præfari: Vivus saneque
& integræ mentis ordinavi de bonis
meis,) qui fiet, ut qui jam sui com-
pos esse desiit, possit ad plenum initia-
ri mysteriis? Etenim si de rebus ad-
hanc vitam corporalem pertinentibus

M

sta-

statuere volenti, non permitterent leges civiles ordinare, quoties testari volens non admodum constat animo, -- quomodo qui de regno cœlorum docetur, deque bonis illis ineffabilibus, poterit ad plenum omnia percipere, frequenter & à morbo factus attonitus? Ut adeò, si istos audias, parum aliquando juverit, baptismi munus involasse, cujus ritè atque cum fructu suscipiendi momenta effugerint.

XVI. Hæc quanquam sese ita habeant, atque tutius merito existimaverint Patres, eo tempore sacro fonte prolui, dum accipiendo cœlesti Dono animus corpusque sufficerent, ne tamen ipsi in se aliquid deesse paterentur, quo moriturus levare posset, non detrectabant, etiam in extremis versanti, atque adeò in periculo æternitatis constituto ad-

sper-

sperginem aquæ commodare.
 Quamquam enim, quod Chryso-
 stomus dicit, *Nullus animam agens*
capiat lotionem, non tamen eò id
 porrigendum, ut simul cum bene-
 ficio ejus ab Ecclesia omnique cœ-
 lestis hæreditatis spe exclusi isti
 censi debeant; à qua sententia
 ipse tantum abest pientissimus Scri-
 ptor, ut maximo id Episcopi crimi-
 ni imputet, si vel unum tantum non
 initiatum decedere, atque adeò sa-
 lutem istius totam subverti per-
 mittat. Et verò tantum ab Ecclesiæ
 mansuetudine, maternaq; in suos
 cura ista austeritas aberat, ut nemi-
 nem, quicumq; is esset, modò posce-
 ret, aut poscere crederetur, absque
 præsidio hoc vitâ hac de migrare,
 pro sua pietate pateretur. Sive
 Catechumenatûs spatio jam decur-
 so, Baptismum cum indipisci pos-
 set, hætenus distulisset; sive non-
 dum expleto eoque tanto muneri

in Act.
Apost.
Hom. 3.
p. 473.

nondum maturuerat; siue illo ex-
 acto ob delictum aliquod in aliud
 tempus reiectus esset (quàm ferè so-
 lam animadvertendi in Catechu-
 menos rationem fuisse, infra dice-
 mus,) seu denique ne gustato qui-
 dem Catechumenatu salutatâve
 Ecclesiâ, Gentilis in ipso vitæ exi-
 tu ad Baptismum proclamaret, nul-
 li non mortis illud, uti Tertullia-
 nus vocat, Symbolum Ecclesia in-
 dulgebat. Ex prima horum classe
 jam supra Constantinum M. atque
 Gorgoniam stitimus (& ipsam
 haud diu ante impletam mortalita-
 tis legem baptisinate auctam,) qui-
 bus & Valentinianum non malè
 accenseas, ab Ambrosio baptisma-
 li unda perfundendum, nî Episco-
 pum utcunque festinantem mors,
 fato propera, prævenisset. Quin
 ea, uti supra ostendimus, plurimis
 baptismi differendi causa extitit,
 quod accipiendæ primæ gratiæ non
 aliud

*Tertull.
 de pæ-
 nit. c. 6.
 ubi Pa-
 mel.*

aliud commodius tempus arbitra-
rentur, quàm ubi cum vetere ho-
mine ipsam vitam exuere liceret,
de lavacro sanctioris natalis illico
ad cœli arcem conscensuri; ab
omni macula puri, neque novis
post sordibus inquinandi; eo è
contrario metu periculosam istam
hominum cautionem fiduciamve
castigantibus Ecclesiæ Præsulibus,
quod incertum esset, an conteren-
do, comparandoque divino mu-
neri locum morbus, & qui varii
humanam vitam invadunt atque
exercent, casus permitterent; nul-
lis adjectis de baptismo in pœnam
contemptûs denegando minis, qui-
bus equidem homines summæ rei
adeò incuciosos acrius urgere li-
cuerat. Minus de istis dubium
esse poterat, quos baptismo hæte-
nus non desidia sua, aut probioris
vitæ impatientia, sed ipsa Ecclesiæ
lex abstinuerat, tantisper dilatis,

donec doctrinâ atque moribus
 perpurgati eò jam profecissent, ut
 Christianæ communionis dignita-
 tem ferre possent, adeò, ut, quod
Albasp. pro solita sua solertia Albaspinaus
ad A- quoque observat, etiam non pe-
mus. 1. tenti, (quando nempe sermonis
Can. 12. usuram morbi violentia interver-
p. 393. tisset,) baptismus oblatus sit; vo-
 lenti enim id fieri, quanquam ver-
 bis nutuque non posceret, ne dubi-
 tari quidem poterat; at cupientem
 supremo isto munere fraudare, cui
 decentius capiendo tantum tem-
 poris, tot in addiscenda veritate
 labores, tantam morum in melius
 mutandorum curam industriam-
 que impenderat, id verò non du-
 rities modo, sed & impietas non
 immerito censeri potuerat. Eli-
 berini Concilii Patres certum,
 Catechumenatui spatium statuen-
Can. 42. tes, eos casus regulæ eximunt, si in-
 firmitate compellente coëgerit ratio,
 vel

vel ocyus subvenire periclitanti, vel
 gratiam postulanti. Quemadmo-
 dum etiam iidem Catechumeno
 militiæ Christianæ, quam susceperat
 desertori, si is metu instantis mor-
 tis ad meliorem mentem rediisset,
 baptismum non negandum esse,
 decrevere. Referrî huc non o-
 mnino incommodè posse putamus
 Agathensis Concilii legem, de Ju-
 dæis equidè latam, quâ certa Cate-
 chumenatûs tempora iis ita præsti-
 tuuntur, ut, si casu aliquo periculum
 infirmitatis intra præscriptum tem-
 pus incurrerint, & desperati fuerint,
 baptizentur. Eademque de causâ
 Concilii Neo-Cæsariensis Patribus
 de Prægnantibus placuit, oportere
 eas baptizati, quando voluerint;
 ob incertum nempe partûs even-
 tum, atque probabilem mortis su-
 spicionem, cui præ aliis istæ expo-
 sitæ. Quanquam aliò forsan respe-
 xisse Concilii istius Patres, quod

Agath.
 cap. 25.
 apud
 Hartm.
 H. Conc.
 cil. Tom.
 III. p.
 649.
 Neo-
 Cæsar.
 Tom. I.
 cap. 6.
 p. 1120.

Phot. Photius innuit, atque in eum plu-
Nomo- ribus Balsamon explicat, inficiari
canon. nolumus. Atque hoc est, quod
Tit. IV. Cyprianus, Beato quoq; Rhenano
c. 10. & laudatus, præcipit, ne etiam Au-
ibi Bal- dientibus (Catechumenos eo vo-
sam. cabulo designans) si qui fuerint
Rhenā. periculo præventi, & in exitu con-
Annot. stituti, vigilantiam suam deesse si-
p. 14. nerent, aut implorantibus divi-
sol. 1. in nam gratiam, misericordiam Do-
Tertull. mini denegarent. Quo etiam, nisi
de Pæn. fallor, pertinet, quod Chrysosto-
Chrysf. mus de suo tempore refert, *Inato ali-*
in Act. *quando Deo,* indignationem vide-
Apost. licer suam gravilue testante, una
Homil. nocte sæpe multa millia sacro fonte
46. p. ablutos fuisse, quanquam doctrinæ
300. Christianæ omnino expertes.

XVII. Neque inclementius ii
 habiti, qui consveta quidem Cate-
 chumenatûs tempora egressi, at ob
 crimen aliquod in classem interio-
 rem retrusi, decursa jam fere studia
 re.

remetri jubebantur, baptismum habituri, cum prorogati spatii dies venisset. Etenim, ut supra innuimus, cum Catechumeni extra Fide-
lium societatem adhuc positi communione, quâ adhuc carebant, privari non possent, ea castigandi hoc hominum genus ratio reperta, ut si quando graviter peccarent, prolatione baptismi disciplinæ Ecclesiasticæ admonerentur. Hos igitur ipsos quoque, si quod periculum imminere videretur, adversus supremum mortis horrorem remedio isto muniri æquum erat. Grave etenim atq; nimium fuerat, æterno supplicio objicere, quibus, testanda ob admissa crimina indignationi, cohibendisque aliis, paria nî qualicunque disciplinæ specie attinerentur, ausuris, spatium tantum baptismi prorogari Ecclesia, non spem gratiæ salutisque auferri voluerat. Spectat huc Eliberini

Elib. Concilii Canon, quo constituitur,
Can. 11 intra quinquennii tempora Catechu-
Tom. 1. mena, si graviter fuerit infirmata, ei
p. 982. baptismum non denegari. De Ca-
& Alba- techumena hinc agitur, quæ quo-
spin ad- niam à marito sine causa divor-
b. c. p. tium fecerat, ultra transacta jam
197. Catechumenatus spatia quin-
se 99. quennio adhuc ei immorari jube-
 batur; eo tamen temperamen-
 to, ut incommodiori valetudine,
 & quæ mortis suspicionem injice-
 ret, baptismo donaretur. Pariter
 alio quodam ejusdem Synodi Ca-
c. 45. ub. none decernitur: *Qui aliquando*
Albasp fuerit Catechumenus, & per infinita
 tempora nunquam ad Ecclesiam ac-
 cesserit, si eum de Clero quisquam
 agnoverit voluisse esse Christianum,
 aut testes aliqui extiterint fideles, ei
 baptismum non negari. Durum
 quippe atque acerbum nimis vi-
 debatur, hominem in Statu Pœni-
 tentiæ, quantum ea in Catechume-
 num

num cadebat, collocatum, si is animi peccato anxii inque levamentum ejus salutaris, qua cuncta diluuntur, aquæ desiderio anhelantis signa edidisset, in extremo isto, quo æterna aut clades aut victoria constat, & quo maximè opem periclitanti ferre conveniat, certamine hosti inermem omnique subsidio nudatum exponi. Neque enim damnandis hominibus, sed corrigendis tantùm censuram istam adhiberi fas atque pium erat.

XVIII. Quin neque Gentilibus, & qui ne primo quidem limine hætenus Ecclesiam salutaverunt, auxilium illud denegabant, si ii mortis periculo perculsi ad sacram istam anchoram confugerent. Ita Illiberitani rursus Concilii Patres sanxere: *Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placere, eis manum imponi, & fieri Christianos.* Quæ de ipso

*Illiber.
Can. 39.*

Baptismo plerique intelligunt, tali in casu homini Ethnico impartiendo, quamvis de iis gentilibus sumi existimet Albaspinæ, qui in mortis discrimine baptisati, manûs impositione perfici, flagitarent, qua non nisi eos insigniri voluerint Eliberini Patres, qui probi fuerint, moresque fidei Christianæ consimiles habuerint; cum nunquam cuiquam baptismus in morte denegatus fuerit, quòd vitam non adeò honestam transegisset. Tanta nimirum benignitate Ecclesia utebatur, ut ad coelestem patriam commeatum etiam iis daret, qui extra Dei his in terris Civitatem ad supremum usque halitum degere perstitissent. Restringit ad hos Albaspinæus Concilii Carthaginensis, (ut ipse, atque aliquot ante secula Walafridus Strabus vocat,)
Albasp. Not. ad Can. 35. Concil. Carth. 3. p. 48. terti
Walafr. Strab. de Reb. Eccles. c. 26. infim. Hippon. 6. 36. Tom. III. p. 362. man
prio
tur;
reno
testin
tur.
prou
à se c
tres
est, f
nium
sentis
ideo
spina
homi
defid
istud
nisi à
men
catio
ptism
ipso
quea

tertii (Hipponensi id J. L. Hartmannus asserit) atque Arausicani prioris Decreta, quorum isto statuitur; *Ut agrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur.* Juxta hoc, *Subito ob mutescens,* *Amus. 2*
prout statutum est, (ita nihil novi *Can. 12.*
 à se constitui, sed vetera firmari Patres isti significant) *baptizari potest, si voluntatis praterita testimonium aliorum verbis habet, aut præsens in suo nutu.* *d. Tom. p. 538.*
ubi Alabassin. p. 393. Utrumque ideo Gentili proprium vult Alabaspinaeus, quòd incongruum foret, homini Ethnico, nullum baptismi desiderium præferenti Donum istud ingerere, nihil profuturum, nisi à volente accipiat; Catechumeno nulla aliâ voluntatis testificatione opus esset, impetrandi Baptismatis animum atque votum ipso Catechumenatu professo. Atque ad eosdem etiam Synodi Are-

Arel. latensis l. canonem Idem refert,
1. Can. quo, *De his, qui in infirmitate cre-*
6. To. I. dere volunt, placuit, debere his ma-
p. 1093. num imponi. Eo nimirum idem
Albasp. ac Canone Eliberino supra allato
ad d. decerni, ipse statuit. Et spectat
Can. p. huc Augustini locus, adversus
384. istos disputantis, qui nullo morum
August. discrimine omnibus ad baptismum
To. IV. aditum patefieri volebant, bapti-
de Fide zandos prius homines censentes,
& oper. post de iis docendos, quibus ad
6. 6. vitam moresque componerentur.
 quando ei tandem sententiæ consi-
 lioque locus sit, ostendens, *Fit au-*
tem hoc, inquit, *ubi quenquam for-*
te dies urget extremus, ut ad verba
paucissima -- credat, sacramentum-
que percipiat, si ex hac vita migra-
verit, liberatus exeat à reatu prate-
ritorum omnium peccatorum. Ejus-
de C16. que rei ipse exemplum alibi in Mar-
Dei. tiali quodam homine Gentili, at-
XXII. que superstitionis veteri, recenset,
 qui,

qui, provec̃tæ jam ætatis, morbo correptus, cùm baptismum, nec quidquam obtestantibus filiâ atque genero, diu pertinaciter respuisset, versa subito, ad istorum preces, in melius mente, salubrem adspersionem passus est. Ita uno passu egregio viæ compendio ab improbitate ad innocentiam, à terrenis ad cœlestia transibant, facti in morte demum Christiani, atque ipso in vitæ exitu ad novam vitam renati. Tantillo his momento æternitatis præmia constabant, inter cœlites receptis, qui pridie aut nudiustertius Gentiles egerant.

XIX. Sequior multò eorum conditio, si qui talium mortis causâ baptismo donati, morbum, aut quicumque fuerat, casum, vitâ superassent. In Catechumenorum ordinem hæctenus saltem (neque aliter poterat,) redigebantur, ut fidei Christianæ capita, aliaque curatius edo-

*Laod.**Can. 47.**To. III.**p. 287.**cit. etiā**à Photio**Nomo**can. Tit.**IV, c. 9.*

edocerentur, quæ nosse Christiani intererat. Sic disertè Laodicensi Patres, postquam de Competentibus Symboli fidei informandis præcepissent, *Qui*, subjungunt, *in ægritudine constituti, baptismum perceperunt, facti sani, fidei Symbolum doceantur, ut noverint, quæ donatione spiritualium donorum digni sint habiti.* Neque enim ideò præcipiti ipsorum valetudine gratia festinata, ut postquam mortem supra spem evasissent, ignorantia suæ inertiaque incubarent. Subitis ambiguisve casibus mederi volebat Ecclesia, non ignavia indulgere. Quin profani, atque beneficio, quod obtinuerat, indigni fuerat, leges atque instituta Civitatis addiscere nolle, cujus in Jura, nullo suo merito, spei auxilii que inops, sola miseratione, adscitus erat.

XX. Præsertim verò Unctione atque Manuum Impositione, ex
Ec.

Ecclesiæ more, confirmanda credebantur dona, fatali, ut sic loquar, Baptismo accepta. Pertinet huc Arelatensis Canon supra allatus, *Can. 6.* quo constitutum, manus iis imponi debere, qui in infirmitate conversi sive baptizati tuerunt. Atque hinc ista Cornelii Episcopi Romani, in Novatum apud Eusebium *Euseb. H. E. VI.* criminatio, quod is lecto decumbens sacri fontis aquâ adpersus, *35.* postquam convaluisset, ea consequi omisisset, ὡς καὶ μεταλαμβάνειν καὶ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τῆτε σφραγισθῆναι ὑπὸ τῆς ἑπισκόπου, quæ Ecclesiæ lege accipere oportuerat, obsignationem nempe, qua baptizati ab Episcopo perfici existimabantur.

XXI. Ceterum, istud non dissimulandum, fuisse, qui minori loco istos ponebant, quibus ob morbi vehementiam lecto adfixis Baptismus

finus contigisset. Toto quippe corpore aquæ immergi sueverant, qui integri sanique lavacrum inibant, quo veterum natalium sordes detergimus. Id cum in istis commodè fieri non posset, satis habebatur, levi adspersione velut recreari. At verò Baptismi virtuti non parum hoc tingendi ritu decedere haud pauci autumabant, qui divinam gratiam aquæ modo metiebantur. Invaluit hinc jam Cypriani tempestare notum illud Grabbatariorum atque Clinico-
 rum nomen, in imminutionem istorum ignominamque confectum usurpatumve. Arguit hanc hominum sive imprudentium sive malevolorum criminationem, quem diximus, Cyprianus, qui Magno sciscitanti, habendine essent pro legitimis Christianis, qui morbo decumbentes, aquâ salutarî non loti sint, sed perfusi? cum adspersionem

Cypria.
Lib IV.
Epist. 7.

nem etiam aquæ instar sacræ ablutionis obtinere, respondisset, inter alia, Porro autem, inquit, quòd quidam non Christianos sed Clinicos vocant, non invenio, unde hoc nomen assumant, nisi forte qui plura & secretiora legerunt apud Hippocratem vel Soranum, Clinicos istos deprehenderunt. Et sub finem Epistolæ id etiam ad Ecclesiæ injuriam spectare alia modo ostensurus, Tantus honor, indignans queritur, habetur hereticis, inde venientes non interrogentur, utrumne loti sint an persusi, utrumne Clinici sint, an Peripatetici. Fatendum tamen, una saltem in re eaque non exigua Clinicos hos, ut ita bona Cypriani pace appellemus, deteriori conditione fuisse, si cum iis contenderes, qui integri atque toto corpore salutarem fontem subierant; Presbyteratus nempe jure, quem aut nunquam aut difficilior istud hominum

num genus assequeretur. Est in
Concil. ter Concilii Neo-Cæsariensis Ca-
NeoCæ- nones quidam, quo sancitur, ut,
far. can. *si quis agrotus fuerit illuminatus,*
 120. (baptizatum hoc verbo designari,
 norunt sacre antiquitatis myste-
 riorum periti,) non possit in presby-
 terum evehi; adjecta non spernenda
 ratione, quoniam fides ejus non sit
 ex instituto, sed ex necessitate. Hunc

Albasp. Canonem, hallucinari putat Alba-
ad d. spinæus, qui de iis agere existi-
Can. ment, qui baptismum volentes sua-
 p. 372. que culpâ in mortis usque tempus
 distulissent, de istis, ut ipse arbitra-
 tur, accipiendum, quos fatalis ho-
 ra, in ipso Catechumenatu & ante-
 quam ad ejus exitum pertingere
 potuerant, occupasset. Quam
 rectè, prudentiores judicent. Cer-
 tè, allatam ab Albaspinæo causam,
 quæ, si ipsum audias, tales à Pres-
 byteratûs dignitate subnoverit,
 cum ratione conferenti disertissi-

mis

mis verbis à Concili Neo-Cæsariensis Patribus subjecta, non adeo forte difficile judicatu erit, cujus sortis Christianos in animo cum legem illam perferrent, isti habuerint. Albaspinæus ideò Presbyteratui adrogari non potuisse opinatur, quòd docere, fidei arcana tradere, exponere, & cetera Sacerdotii officia implere non posse viderentur, quos valetudo prima fidei elementa non sivistet addiscere, & rerum omnium ignaros atque rudes baptizari coëgisset. At aliam multò, quos diximus, Patres, constitutionis seu prohibitionis suæ causam ipsi suppeditant; quòd nempe indigni tanto munere viderentur homines, quos ad capiendum baptismum non animi pietas, sed supremum mortis periculum adegisset, tam salutari negotio plures fortè annos protracturi, nisi saniora consilia morbus extorserat,

Suffi-

Sufficere non adeò immeritò fors-
san, arbitrabantur, hominem, cui
accipiendæ cœlestis gratiæ, quæ sa-
lutarî aqua confertur, mentem non
nisi extremæ necessitatis & instantis
è proximo fati metus expressisset,
de plebe Christianorum censerî;
neque facile in Ecclesiæ velut Se-
natum cooptandos, qui Civitatem
eo modo, coacti scilicet & tan-
quam inviti primùm adepti erant.
Id quod equidem istis exprobrari
potuisse, palam est, qui cùm bap-
tismo, si modò voluerant, ablui po-
tuissem, suâ sponte contractas
ex lutulenta veteris hominis
prosapia sordes hæcenus retinue-
rant: In istos quî convenerit,
quos intra Catechumenatûs stadia
adhuc decurrentes etiam si cupe-
rent, baptismo Ecclesia prohibe-
bat, alii viderint. Neque enim
quid iis jure imputares, qui dum
ordine suo continebantur, in ne-
cessi-

cessitatem istam non mala mente sacramentive neglectu, sed Ecclesiæ lege, suoque fato delapsi erant, prius accepturi, si citius licuisset. Et certè si omninò causam atque rationem legis suæ ipsi Patres reddere neglexissent, adeoque aliorum conjecturis fecissent locum, ne sic quidem suam, quam ipse substituit, Albaspinæus attentolatori facile adprobaturus fuerat. Quid enim impediēbat, quo minus Catechumenus, quamvis, dum sacro fonte lavaretur, fidei Christianæ capita minus edoctus, versa in melius valetudine ita proficeret, ut docendi quoque muneri admo- veri posset. Neque etiam ea conditione baptismo, urgente fati suspicionē, donatos esse, ut ignorantia suæ velut privilegio quodā fruerentur, supra monuimus. Alia causa illorum erat, quibus dum vivere atq; baptisari liceret, baptismus negligebatur,

batur, nullo ejus desiderio tactis, dum sanitate potirentur, diutius haud difficulter tanto dono carituri, ni longiores moras mortis formido abstulisset. His enim, ut postea peccatorum sorde purgaris, ex ipso tamen cunctationis crimine notæ quid remanere existimabatur, quæ Sacerdotii fastigio excluderet. Atque hinc ista Cornelii in Novatum pari casu baptismo initiatum indignatio, inter Presbyteros adscitum, nimia Episcopi facilitate, refragante universo Clero populoque, morem majorum obtendente, ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ὄντα κλίνης ἀλλὰ νόσον περιχυθέντα, ὡπὲρ καὶ εἶπε, εἰς κλῆρον τινὰ γενέσθαι, quo nimium non liceret quenquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo, perinde ut ille, perfusi fuissent, in clerum assumi; ut hæc ex Cornelii ad Fabium

An-

Antiochenæ Ecclesiæ Præfulem epi- *Euseb.*
 stola Eusebius adfert, quamvis id. *H. E. VI.*
 eò vitio creatum illum ex senten- *43.*
 tia Cypriani putet Chemnitius, *Exam.*
 quòd versâ in melius valetudine *Concil.*
 perfectionem, quam manûs impo- *Trid.*
 sitione fieri sibi persuasum habe- *Part. 10.*
 bant, Novatus omisisset. Ceterum *p. 84.*
 ne ita quidem rigide cum talibus *Part. 2.*
 agi voluere Patres Neo-Cæsarien- *p. 229.*
 ses, ut omnem omnino aditum ad *248. 249.*
 Sacerdotii honorem hisce interclu-
 serint, ita severitatem legis tempe-
 rantes, ut ei eximerentur, si qui
 conversionis tarditatem doctrinâ
 postea morumque probitate pen-
 sasset, quando præsertim raritas
 aliorum hisce locum effecisset, ad-
 mittendis, *propter consequens stu-*
dium, ita in suo Canone isti, *& fi-*
dem, *omniumque raritatem*. Ad
 istos scilicet ibatur, cùm nemò ferè
 esset, cui sacra ista munia obtrudi
 aut conferri possent.

XXII. At verò, minus mirum, baptismi copiam iis factam, qui ut in supremo isto mortis vitæque confinio confisterent, animam hactenus utcunque retinebant. Istud magis stupeas, eò quorundam in suos excessisse charitatis intemperantiam, atque ineptum procurandæ salutis studium, ut sacro latice etiam istos proluerent, quos antequam vivi eo potirentur, mors diripuerat, supremo atque perennaturo, si effectum res sortiretur, beneficio defunctos ornaturi. Alii, diverso modo, non impari affectu, mortuorum negotia gesturi, horum nomine baptismum ipsi capiebant. Nihil hîc dicemus de Cataphrygibus, Montanistis, Cerinthianis, Manichæis, aliisque ejusdem furfuris hominibus, hæresum notis jam aliunde infamibus, aut ipsos defunctos, aut loco illorum alios salubri, ut putabant, aqua
per-

perfundere solitis; istud prætere
nolumus, quod de Marcionitis
Chrysostomus refert, lepidum e-
quidem, suisque inventoribus di-
gnum, atque ita comparatum, ut
scenæ magis fabulæque quam sa-
cræ rei adornatum videri possit.
Ea verò egregiæ solertiæ ratio erat.
Postquam jam vivere desierat ba-
ptismo nondum ad meliorem vi-
tam præparatus, alius quidam sub
mortui lectum adscendebatur.
Reliqui defunctum circumstare,
alloqui, & velitne baptizarii, inter-
rogare. Mortuo, ut par erat, silen-
tium suum, quod rumpere non li-
cebat, constanter tenente, iste sub
lectuli latebra hærens, susceptâ il-
lius personâ, Et verò se velle, affir-
mat. Atque ita vicarium pro isto
baptisma subit. Idque ad mortui
incolumitatem proficere credebatur.
At præter hos, etiam alios,
melioris Ecclesiæ cives nimia in

suos cura eò abripuit, ut eandem
 juvandorum illorum rationem &
 ipsi inirent. Observat id, ex alio-
Walafr. rum quidem relatione Walafridus
Strab. Strabus, in ipsis nascentis Ecclesiæ
de reb. cunabulis, atque primis prædica-
Eccles. tionis Evangelicæ temporibus,
c. 26. sub tanti fervoris quosdam in divina
fin. credulitate, ut ipse loquitur, fuisse,
 ut pro amicis propinquisve ante
 baptismi perceptionem defunctis,
 baptizari studerent. Et quanquam
 falsa opinione, bono tamen animo
 id à quibusdam quarto adhuc se-
 culo usurpatum, Hipponensis
Can. 6. Concilii Patres indicant, dum ca-
Hist. veri jubent, *ne baptizari mortuos*
Concil. *posse, fratrum infirmitas credat.*
To. III. Infirmitatem appellant, affectûs
p. 357. nempe in suos teneritudinem, at-
 que, ut ita loquar, impotentiam,
 quâ infelicem istorum conditio-
 nem miserantes, nefas existima-
 bant, quidquam omittere, quo af-
 flicte

fiatæ istorum forti mederi possent,
nihil pensi habentes, qua ratione
id perficerent, animo potius suo at-
que in defunctos amori, quàm
ipsis consultaturi, suumq; luctum,
non dolores istorum mitigantes.

Idque Concilii cujusdam Cartha-
ginensis canone aliquo repetitum;
ut in Africa morem istum maximè
invaluisse conjicias, cui abolendo
his sanctionibus opus fuerit. Quin
& Chrysostomus, sua nì fallor, in
provincia contigisse arguit, ὅτι
καὶ νεκροῖς ἀπεχὺν ὕδαρ, καὶ τὰ
ἀγία ἐπέτρεψεν εἰς γῆν. *Quod etiam*
mortuis infusa sit aqua, & sancta
projecta in terram; sive ipsos mor-
tuos inani baptismi specie tinctos,
sive alios illorum vicem subiisse,
significans. Errori causa, super-
stitio, nimiaque in demortuos sibi
charos malè consulta pietas, cum
alià viâ non possent, hoc saltem
modo iis opitulari satagentium;

Can. 6.

P. 368.

Can. 18.

alleg. &

Phot.

Normo-

lon. Tit.

IV. c. 6.

in Aeth.

Apost.

Homil.

1. sub fine

occasio, si non omnibus, plerisque
 saltem Pauli locus, quo super mor-
 tuos, ὁπρὲς τῶν νεκρῶν, sua jam æta-
 te baptizatos quosdā innuit. Quem
 pluribus explicare, ad institutum
 nihil refert. Si cui cupido est,
 Chrys. Chrysostomum, Epiphanium, at-
 ad Cor. que ex recentioribus Lutherum,
 d. l. Ho- M. Chemnitium, Bertrammum, Arn-
 mil XL dium, & præ reliquis Joach. Hil-
 Epiph. debrandum adire licebit, apud
 ber. 25 quem collectos inveniet plerasque
 Luther. auctorum sententias, aliaque ad
 ad d. l. hunc morem spectantia.
 Tom. 6. Jen. fol. 236.

XXIII. Fuere tamen, ut hīc
 b. + 64. istud adjiciamus, qui Catechume-
 Chem. natūs carceribus vix egressi, aut
 Exam. saltem nondum adhuc confecto
 Concil. ejus curriculo, mortem sine bap-
 Tridēt. tismo, nullo salutis periculo damno-
 Part. 2. in bon. ve,
 de Miss. fautor. p. 354. de extr. Unct. p. 45. Part. 4. de reliq.
 in bon. sanctor. p. 660. Bertram Lucubr. Frauckenthal. c. 8.
 Arnd. Lex. Antiq. Eccles. voc. Baptism. §. 99-104.
 Hildeb. de art. vet. benè moriend. c. 4. add. de oblat.
 pro def. c. 3. n. 9. seqq.

ve, imò singulari porius suo emo- *Alger.*
lumento gloriâque obirent. Mar- *de Sa-*
tyres inquam, quos quanquam ba- *cram.*
ptismi aquâ fortè non ablutos, suo, *Lib. III*
ut Algerus loquitur, sanguine, *c. 7.*
baptizari arbitrabantur. *Alcuin.* *Bapti-*
de di.
smum sanguinis appellabant, Ignis *effic. c. 8*
nomine à Joanne, generis humani *Bibl. P.*
Primicerio, designatum; τὸ, ut *To. III.*
Gregorius Naziazenus illud de- *col. 1194*
scribit, *B.*
μαρτυρίας καὶ αἱ- *Matth.*
ματῶν. Καὶ πολὺ γέτων ἄλλων αἱ- *III. 11.*
δεσιμώτερον, ὅσω δαυτεροῖς ῥύποις *ubi vid.*
καὶ μολύνεται. quod martyrio & san- *Orig. &*
guine comparatur, & quidem eò ce- *p. 301.*
teris augustius, quòd nullis postea *Gregor.*
sordibus contaminatur. E Christi *Naz.*
latere post expleta mortalitatis, *Orat.*
quam in se pro nostra incolumita- *xxxix*
te susceperat, munia, & peracta, *in S.*
hujus baptismi, quem subiturum *Lum. p.*
sefe ipse quondam professus fuerat, *634. D.*
Matth.
XX. 21.
ubi O-rig. Tr.

N 4

orbis

12. Augstin. de sanct. virgin. c. 32.

Chrys. orbis nempe totius, ut Chrysostomi
in Mat. verba usurpemus, expiatorii solen-
d. l. Ho- nia, aquâ sanguineque manantis
mil. non in scitè veteres originem du-
LXXI. plicis huius lavacri deduxere. Eam
p. 547. in rem Tertullianus, postquam u-
E. num Christianis baptismam esse
Tertull. monuisset, *Est quidem,* pergit, no-
de Bapt. bis etiam secundum lavacrum, unum
e. 16. & ipsum, sanguinis scilicet; de quo
Luc. Dominus, Habeo, inquit, baptismo
XII. so. tingui, quum jam tinctus fuisset.
Joan. Venerat enim per aquam & sangvi-
v. 6. nem, sicut Joannes scripsit, ut aquâ
 tingueretur, sanguine glorificaretur.
 Proinde ut nos faceret aquâ voca-
 tos, sanguine electos, hos duos bap-
 tismos de vulnere perfossi lateris emi-
 sit. Quia qui in sanguinem ejus cre-
 derent, aquâ lavarentur: qui aquâ
 lavassent, etiam sanguinem potarent.
Catech. Eandemque in sententiam Cyrillus,
XIII. causas istius fluxionis inquirens
col. 138. atque explicans, Cum, ait, duplex
A, sit

fit baptismi salutaris virtus -- una
 quidem, quæ baptizatis donatur per
 aquam: altera verò sanctorum mar-
 tyrum in persecutionibus per pro-
 prium sanguinem; exivit de latere
 salutari sanguis & aqua, propter
 eam quæ esset futura Christi confessio-
 nem, & in baptismo & in temporibus
 martyrii confirmans gratiam.
 Intelligit id Baptismi genus Tertul-
 lianus, cum tantam martyrio vim
 inesse ostendens, ut etiam specta-
 tores, imò ipsos haud raro carnifi-
 ces, egregios scilicet baptismi hu-
 jus ministros, in sui admirationem
 imitationemque aliquando rape-
 ret, Quis, quærit, non contemplatione
 ejus concutitur, ad inquirendum,
 quis intus in re sit? Quis non ubi re-
 quisivit, accedit? ubi accessit, patè
 exoptat? ut totam Dei gratiam re-
 dimat, ut omnem veniam ab eo com-
 pensatione sanguinis sui expediat?
 omnia enim huic operi delicta do-

Apolog
 c. ult. i.
 fin. n

Exam. *Cencil* *Trid.* *Cant. 2.* *de Sa-* *exam.* *necess.* *p. 213.* *de Ex-* *hort.* *Marty.* *Prefat.* *in fin.*

nantur. Ejusque Baptismi Elogia pluribus, & ferè supra modum, ut de ipso & aliis plerisque paria jactantibus Martin. Chemnitius advertit, commemorans Cyprianus, idem paulò post & ipse subiturus; Nos enim, qui Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes & docentes, hoc esse baptisma, in gratia majus, in potestate sublimius, in honore preciosius, baptisma in quo angeli baptizant, & in quo Deus & Christus ejus exultant: baptisma post quod nemo jam peccat, baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aqua baptismo percipitur peccatorum remissa, in sanguinis corona virtutum. Et verò quamvis plures baptismi hujus honore augerentur, jam primo isto, aquæ nimirum potiti; non mi-

nor

nori tamen loco etiam isti ab Ec-
clesia habiti, qui instantis persecu-
tionis impetu abrepti, nullo sacri
fontis rore conspersi, pro Christi
gloria mortem oppeterent, cum
aquâ non liceret, suo sanguine ad
meliolem vitam emergentes. Non
ineleganter hunc in sensum Cy-
rillus, rursus simul indicans, ex
quo ista fonte manarint, *Si quis,*
dicit, non baptizatur, salutem non
habet, præter solos Martyres, qui
(vel sine aqua) regno cœlesti potiun-
tur. Redimens enim terram Salva-
tor, per crucem & in latere vulne-
ratus, sanguinem & aquam emisit,
ut alii quidem pacis tempore in aqua
baptizarentur, alii verò tempore
persecutionis proprio sanguine tinge-
rentur. Et quidem, cum Christo
nos per baptismum commori atque
consepeliri Apostolus observet,
quos alios magis Servatori mortis
pariter ac sepulturæ socios, & velut

Cyrrill.
Catech.
III. Il-
lum. p.
69. B.
C.

æmulos censerent, quàm qui obi-
 tam ab isto pro nostra salute mor-
 tem, non mortis aliquo imitamen-
 to, sed vera morte, pensando, ut
 poterant, tanto amorì, pro honore
 illius, ingentibus plerumque cru-
 ciatibus tolerata, exprimerent. ?
 Observavit id, qui Constitutionum
 Apostolicarum titulum prædio suo
 adfixit, Scriptor, qui Christianum,
 aut Christianismi saltem Candida-
 tum erudiens, quâ solertia constan-
 tiâve persecutiones suppliciaque
 declinaret, aut ubi casus ita, Dei-
 que gloria ferret, exciperet, Qui,
 inter alia dicit, *martyrium consequi*
meruit, gaudeat in Domino, quòd
tantam coronam est adeptus, & per
confessionem diem clausit extremum:
ac quamvis fuerit Catechumenus,
latus discedat: passio enim, quam
pro Christo sustinet, cedit ei in verio-
rem baptismum, quoniam ipsa re
commoritur Christo, alii in figura.
 Gau-

Constit.

Apost.

Lib. V.

c. 7. &

ibi Jo.

Car.

Bob.

Schol.

Gaudeat igitur, quòd imitatur magistrum &c. Atque imitati hac in re Sospiatorem suum Heraclides atque Rhanis, ambo ex Origenis (ut Tertulliano verbo utar,) discipulatu, quorum iste antequam baptizaretur, securi percussus, hæc & ipsa Catechumena soloque baptismo sanguinis tincta, vitam Deo Salvatorique suo consignavere. Quanquam non adeò istos mireris, qui Ecclesiam jam ingressi, atque in Catechumenatûs stadio versantes, prius quàm ad calcem pervenissent, in ipso cursu oppressi, regna ante cœlestia, quàm salutare lavacrum, è quo aliquin regia ad ista via, adierunt, fide erga Servatorem adultimum invidiam. in cujus ditionem jam prima Christianismi professione concesserant. Istos obstupescas, qui hæcenus Ecclesiam Ecclesiæque caput perosi, mutata subito in melius mente, atque

Euseb.

VI. 4.

positâ ferociâ, veram solisque
Christianis dignam fortitudinem
usurpavere; eodem ferè momento
Christi persecutores martyresque,
unâ aliquando horâ totius Cate-
chumenatûs, atque Christianismi
spatia emetiti, citius fermè Ecclesiæ
triumphantis eives, quàm militan-
tis municipes. Sæpe nimirum e-
venerat, ut qui Christianorum sup-
pliciis aut spectatores adessent, aut
lictores carnificesque apparerent,
admirandâ martyrum patientiâ
velut cæstro quodam perciti, atque
Christi obsequium illicò professi,
eandem ad sortem & ipsi prius ra-
perentur, quàm aut elementis
Christianæ fidei imbui, aut bap-
tismo expiari possent; sola Christia-
ni nominis professione, sanguine
suo firmatâ, officio, quantum licue-
rat, defuncti. Illustre, ut tot alia
prætereamus, ad finem properan-
tes, ejus rei exemplum nobile par
tra-

fratrum Basilius M. Gregorius Nyssenus, atq; Gaudentius suppe-
 ditant. Sæviente Cæsareæ Cappa-
 docum in Christianos persecutio-
 ne, deprehensi inter alios quadra-
 ginta milites, ultra vitæ conditio-
 nem pii, qui spretis Præfecti minis
 pariter blanditiisque Christum ne-
 gare constanter detrectabant, o-
 mnia profide experiri parati. Præ-
 sectus pertinaciâ, ut interpretaba-
 tur, hominum incensus industriam
 intendere, quò cruciatuum acer-
 bitate, aut expugnaret istorum,
 constantiam, aut læsam Deorum
 religionem, atque spretam Impera-
 toris majestatem, magistratusque
 sui reverentiam ulcisceretur. Cal-
 lido talium repertori tandem pla-
 cuit, frigore tantæ pietatis ardo-
 rem extingvere. Neque mora, in
 stagnum, quod pro mœnibus urbis
 erat, per brumam tum glacie con-
 cretum demerguntur, tanquam
 cum

uterque
Orat.
in 40.
mart.
Gaud.
Tr. de-
dic. Bas.
Concil.
sanctor.

cum veste, peccati indice, totas veteris hominis exuvias positura, nudum, geluque rigidi, atque unico Christi amore calentes. In propinquo Balneum, in quod reciperentur, refocendi, sicubi doloris magnitudo vitæ desiderium animum ad molliora consilia compulisset. Et improba hominis solertia valuit, ut unus saltem numero excideret, eo quidem eventu, ut illic, postquam calidam attingisset aquam, proditam miserè exhalaret animam, quam gloriosius beatusque pro Christo efflare licuerat. Repertus tamen, qui locum perfidiæ hujus vacuefactum expleret. Observaverat Custos, cui id negotii datum, ut si cui istorum se ad vitæ diuturnioris usum recipere liberet, exciperet, Martyres fidei in Servatorem retinentes, quemque celesti coronâ angelica manu donari; solum sacre militiæ deserto-

rem

rem inanem, uti par erat, inhonoratumque dimitti. Ipse igitur primum invasurus quod ille neglexerat, illius vicem subire, Christianum sese profiteri, & quo animo religionem coleret, pari animi adversus dolores constantiâ testificari; aquâ primum atque frigore, denique, ne uno supplicii genere periret, igne confectus. Nullus hic baptismo, ne institutioni quidem tempus aut locus supererant. *Vidit miracula cœlestia, agnovit veritatem, ad dominum confugit, cum* *Basil. M. d. h.* *martyribus annumeratus est. Exemplum est Apostolorum imitatus. Abiit Judas, Matthias est surrogatus; imitatus est Paulum, qui heri persecutor, hodie sanctus est Evangelizator. Supernè & ipse vocatus, non ab hominibus, neque per hominem credidit. Cui peria in historia Ecclesiastica crebro satis deprehendere licet. Hic nimirum celebran-*

*de bapt. brante Tertuliano, est baptismus;
c. 16. qui lavacrum & non acceptum re-
presentat, & perditum reddit.*

XXIV. Accidit tamen ali-
quando, ut exacto jam Catechu-
menatus tempore, ne volentes qui-
dem ad Baptismum admitterentur,
insigni scilicet aliquo delicto, &
quod etiam Catechumenum de-
deceret, meriti, à pleno sanctæ
Civitatis Jure diutius abstineri.
Quamvis enim levius crimen non
immerito videbatur hominis,
baptismi munus nondum adepti,
quàm qui haustam salutarì aquâ
gratiam novis ausibus corrupisset,
& isti tamen aliquo velut poenæ ge-
nere monendi erant, quàm sanctè
colenda sit Societas, inquam coo-
ptari ipsi flagitabant; atque absur-
dum erat, sacri numeris Candida-
tis impune esse, quibuscunque fla-
gitiorum sordibus sese inquinasse;
jam conspectiori crimine notatis,
quàm

quàm qui ante Catechumenatum
 susceptum, aut in ejus vestibulo
 licenti9 agentes, in veteri homine,
 uti scitè Eliberini Concilii Patres,
 jam supra laudati, ita deliquisse vi-
 debantur; ut penè contra volunta-
 tem, meliora scilicet nondum satis
 edocti, peccasse censerentur. Quib9
 ideò comparari non debebant, qui
 quamvis & ipsi gratiæ, quæ bap-
 tismo confertur, adhuc expertes,
 ideoque ab isto, ut Tertullianus ap-
 pellat, contractu delinquendi mi-
 nus liberati, quo, uti Idem, stem-
 maris nostri auctor in mortem da-
 tus totum genus de suo femine in-
 sectum, suæ damnationis tradu-
 cem fecit, jam tamen tantæ spei pro-
 pius ad moti erant, atque ex isto,
 quo ex tam pestifera label lingue-
 mus senio, in plenam, quatenus
 mortalitatis conditio patitur, pu-
 bertatem, ætatisque florem sese re-
 concinnandos Ecclesiæ tradide-
 rant,

Albass.

2. Obs.

9. 3. &

Observ.

2. §. 2.

Tertull.

de Re-

surr. c.

6. de

Testim.

anim.

c. 30

rant cui delicti paulò ante patrati
 reos & recenti adhuc crimine for-
 ditatos, aggregari, injustum, Eccle-
 siæque sanctitati, istis præsertim se-
 culis Gentilium calumniis, qua-
 qua patebat, expositæ, injurium
 erat. Ita æquum visum, ut tales
 sua quoque, levior tamen pœna
 maneret, quàm qui post Bapti-
 smum scederis, quod eo sancitur,
 sanctitatem insigni aliquo scelere
Terrull. *salutis*, uti scitè Tertullianus, *devo-*
de idol. *ratorio*, violassent. Sic cum Christia-
 6. 1. nus, baptismo scilicet jam inter Ec-
 clesiæ cives receptus prodita, nul-
 lis minis aut terrore mortis, quibus
 perfidia excusaretur, fidei scelus
Canon. Concilii Niceni legibus multorum
 14. cit. annorum pœnitentiâ lueret, in Ca-
suprà c. techumenis satis supplicii visum,
 3. 5. 14. triennii morâ distineri & velut re-
Albasp. jici hominem jam forte in Cate-
de Ob- chumenatûs exitu stantem, stadii
serv. 2. molestias repetiturum, cujus jam
 5. 2. fer-

fermè metas attigerat. Ita cum
 Flaminibus, Christianismum pro-
 fessis, si quid ad munera honores-
 que, qui Diis sacrificiis atque ludis
 haberi credebantur, contulerint,
 quamvis ipsi sacrificiis impolluti,
 non nisi animam agentibus venia,
 atque ad consortium Ecclesiæ re-
 ditus esset; ad castigandum Cate-
 chumenam ejusdem delicti reum
 satis esse putabatur, ad Baptismum,
 ad quem decurso ferè Catechume-
 natûs spatio jam proximius acces-
 serat, post triennium demùm ad-
 mitti. Pariter Christianæ mulieri,
 adulterium foetus ex prava libidi-
 ne suscepti paricidio cumulanti,
 receptandæ communionis spem ne
 animam quidem efflanti reliquam
 esse voluere Eliberini Patres; Ca-
 techumenæ eisdem flagitiis ob-
 strictæ castigandæ sufficiebat, per-
 petuo Catechumenatui addictam,
 Ecclesiæ factâ Baptismi copiâ non
 ante

*Elib.**Can. 30**ubi Al-**baßin.**pag. 290**Can. 40**Et ibi**Albaß.**p. 291.**Can. 36.**ubi Al-**baßin.**p. 232.**Can. 68.**Et ibi**Albaß.**p. 234.*

ante adsociari, quàm vitæ proro-
gandæ spes decessisset, cœlestem,
& à qua ad istam gradus fit, adhuc
mortalitatis incommodis laboran-
tem Ecclesiam uno ferè saltu aditu-

*Can 73.
ubi Al-
baspin.
p. 237.*

ram. Idem, cùm Delatorem Fi-
delem, Christianum videlicet, qui,
explicante Albaspino, ad iudicem
secularem hominem Christianum
detulisset, illumque eo nomine, uti
is satis quidem obscurè, accusas-
set, in vitæ demùm quidem exitu
ad communionem recipiendum,
decrevissent, Catechumeno paria
peccaturo post quinquennium ba-
ptismi accipiendi facultatem per-
misere. Paucis, qui in Catechu-
menatu peccabant, aut in eodem
quo consistebant, gradu, diutius,
quàm pro more retinebantur, aut
si ulterius, ad Orantium videlicet,
aut supremam istam Competen-
tium Classem promovissent, in
priorem, quam jam exierant, Au-
dien-

dientium ordinem redigebantur,
 ne ad Baptismū ocyus pertingerent, ^{c. 3. § 14.}
 suis criminibus impediti; qua de ^{P. 274.}
 re jam supra, ex Canone quodam, ^{d. Chf.}
 Neo-Cæsariensi à nobis mentio ^{1. 5. 2.}
 facta eamque cum jam ita pertra- ^{add. in}
 ctarii Antiquitatis sacrae peritissi- ^{Can. 10.}
 mus Albaspinæus, ut nihil alienæ, ^{Concil.}
 nil certè nostræ in ea industriæ ^{Elib. p.}
 quidquam reliquum fecerit, tam ^{297. in}
 egregium; Auctorem laudasse suf- ^{Can. 11.}
 ficiet. ^{Concil.}
^{Nic. p.}
^{350.}

CAPUT V.

De

Preparatione Competen-
tium ad accipiendum bap-
tismum.

I.

CAtechumanatūs spatia ferè
 Cemensis, atque spei accipien-
 di Baptismi jam prioribus eò
 instantior meritò cura erat, cultui
 orna-